suspicio illius memoriæ, & scientiæ: secùs si opinio, etsi minus probabilis. Ut in simili dixi *n.*36.

41 Quarta conditio ad voti valorem petita est, ut ea promissio fiat Deo. Quamvis enim sanctis aliqua promittantur, promittuntur ipsis, in quantum Deus in illis honoratur. Atque ita promissio illa tendit in Deum. Sicut cum juratur per sanctos, juratur Deum in ipsis elucentem. Ut docet *D. Thom.* 2. 2. *quæst.* 88. *artic.* 5. *ad tertium* ab omnibus receptus. Et benè explicat *Azor. lib.* 11. *institutionum moral. c.*13. *in fine.*

42 Hinc deducitur primò, non esse votum, sed promissionem humanam, si quis alteri dicat, *promitto tibi me non amplius lusurum*. Quia non fit promissio Deo. Ita *Navarr. in summa Latina cap.* 12. *num.* 25. *Hispana cap.* 28. *addit. ad numerum vigesimumquartum*, *cap.* 12. De hujus autem promissionis obligatione satis diximus, *libro præcedenti capit.* 15. *à num.* 10.

43 Imò, si quis sanctis aliquid promittat, expresso animo non se Deo obligandi, sed sancto, ut excellenti creaturæ, ea promissio non erit votum, nec religionis divinæ actus, sed erit instar promissionis, qua homo homini se adstringit, & erit actus singularis observantiæ. Quod benè docet *Valentia* 2. 2. *disputat.* 6. *quæst.* 11. *punct.* 5. *col.*2. *versic. Quòd si quis fortè*.

44 Secundò deducitur, votum nullis verbis, aut externis signis ad sui obligationem indigere, sed sola mente emitti posse, in quo distat à promissione humana, quæ verbis, aut signis eget. Quia Deus, cui fit votum, intima cordis intuetur, quæ hominem latitant. Ita docet *D. Th.* ab omnibus receptus 2. 2. *q.*88. *art.*1. *corpore*.

45 Tandem observandum est, sponsionem tempore baptismi susceptionis emissam, non esse votum propriè. Atque ideò nonnulli sancti, & Doctores id votum appellantes, intelligendi sunt de voto largè, ut propositum, & fidei promissionem includit. Quia nullum est verbum in baptismo promissionem importans, interrogatur enim baptizandus, an renuntiet Satanæ, velit baptizari, credat? Et respondet per se, vel per patrinum, *abrenuncio*, *volo*, *credo*. Quæ verba non sunt promissionis. Et ita docent *Cajetanus* 2. 2. *quæst.*88. *art.*2. *ad primum*, *Sotus lib.*7. *ne justitia*, *quæst. prima*, *articulo secundo*, *ad primum*, *Navarrus summa Latina capite duodecimo*, *numero trigesimo primo*, & alii, quos refert, & sequitur *Azor. libro undecimo institutionum moralium*, *capite decimo quarto*, *quæstione tertia*.

CAPUT II.

Qualiter error, vel ignorantia, vel mutatio circa voti substantiam, ejusve circumstantias, aut circa vovendi causam, auferat voluntarium, ut votum valeat necessarium; aut ne ejus obligatio cesset per illum errorem, aut rerum mutationem, aut causæ cessationem?

SUMMARIUM.

*Error, & ignorantia quotupliciter contingat? Et quando sunt circa voti obligationem, an votum obliget; n.*1.

*Ignorantia alia est negativa, alia positiva, n.*2.

Quæ sunt substantiales circumstantiæ, & quæ accidentalis rei promissæ num. 3.

Qualis error irritet professionem, aut vota biennii Societatis Jesu? num. 4.

Quot quæstiones tractandæ sint; n. 5.

*An ad inducendam obligationem, vel ab ea eximendum, sit spectandum, quid hic faceret, vel non faceret, si prævidisset, & hoc sit velle, aut nolle sub conditione; n.*6.

*An ad id exigatur actus aliquis de præsenti in voluntate, saltem virtualis, quo vellet, aut nollet illud; n.*7.

*An voluntas vovendi conditionaliter, & dependenter à tali circumstantia, vel eventu, colligatur ex errore, aut scientia rei promissæ; num.*8.

An hac voluntas deducatur ex fine voventis; n. 5.

Ignorantia negativa circa rem promissam, an irritet votum; n. 10.

*Quid, quando est error positivus circa ipsius substantiam, & circumstantias, vel minoris momenti; n.*11.

An sint res hæ, circa quas erratur, magni, vel parvi momenti, non consideratur absolutè, sed respectu materiæ promissæ, n. 12.

Quid, si dubium sit, an res in qua erratur, sit notabilis, aut sit opinio, aut suspicio; nu. 13.

Quid, si error sit vincibilis; n. 14.

*An, dum tantùm erratur circa circumstantias accidentales, tunc votum obliget etiam quo ad circumstantias; n.*15.

*An valeat votum, si ignorans, aut errans ita affectus sit, ut si non erraret, voveret; n.*16. *Et quid in dubio, vel suspicione, aut opinione; ibid.*

*Error circa voti substantiam irritat illud etiam, quod ad accidentia cognita, n.*17.

*Post num.*17. *invenies alia summaria*.

1 QUadrupliciter potest accidere error, aut ignorantia. Primò circa rei promissæ substantiam, & substantiales ipsius circumstantias. Secundò circa circumstantias accidentales. Tertiò, circa vovendi causam. Quarto, circa voti obligationem. Et de triplici priori errore, aut ignorantia est tractandum in hoc capite. Nam *c.prat. n.*26. diximus de errore circa voti obligationem. Rursus hæc ignorantia, aut error potest esse, vel circa antecedentia, comitantiave rem promissam tempore, quo votum factum est, vel circa post evenientia, quæ ex rerum mutatione consurgunt. Quippe horum omnium ignorantia potest esse involuntarii causa.

2 Secundò observandum est, duplicem posse esse ignorantiam. Quæ est merè negativa, quæ est nescire, seu non advertere. Altera est positiva, quæ errorem continet.

3 Tertiò observandum est, quæ dicantur substantiales circumstantiæ rei promissæ, & quæ accidentales. Et quidem sicut ad substantiam emptionis, & venditionis, locationisque, ut optimè ait *Vasquez* 1. 2. *q.*7. *art.*4. *disp.*30. *c.*4. *n.*20. pertinet non sola rei venditæ, aut locatæ substantia, sed etiam ipsius qualitates. Quia per venditionem alienatur quidquid in re utilitatis est, in emptoremque transfertur, & in conductorem transfertur usus substantiæ rei, & ipsius utilitas. Ita intelligo, quod attinet ad præsentis quæstionis decisionem, ad substantiam voti non solam rei promissæ substantiam pertinere, sed etiam difficultates executionis illius, quæ sunt notabiles, ac majori consideratione dignæ. Quia substantia rei promissæ cum circumstantiis, & difficultatibus undecumque provenientibus vovetur: & ut causa involuntarii sint, quando in illis erratur: id solùm attenditur, an sint notabiles, ac majori consideratione dignæ, quàm existimabatur à vovente, undecumque id proveniat. Illæ autem dicuntur accidentales, quæ non sunt magni momenti, nec notabiles.

4 Quartò observandum est, quæstionem hanc procedere de voto simplici. Nam *lib.* 10. *de matrim. disp.*9. *à n.*18. *usque ad* 23. probavi, votum solemne per nullum errorem irritari, nec cessante causa finali cessare, tantumque irritari, quando est in ipsa religionis substantia. Sicut matrimonium solus personæ error irritat. Atque idem sentio de votis, quæ religiosi Societatis Jesu emittunt transacto probationis biennio. Cum enim per illa veri religiosi constituantur, incantque matrimonium spirituale cum Christo veluti per professionem, per solum errorem reddentem irritam professionem possunt irritari.

5 Ut ergo clarè procedamus in quæstione difficillima, tres sunt quæstiones agitandæ. Prima est, de ignorantia, vel errore circa voti substantiam, vel quascumque ejus circumstantias existentes tempore voti. Secunda est, de supervenientibus ob rerum mutationem. Tertia, de errore circa causam vovendi, quæ vel erat falsa tempore voti emissi, vel quando postea cessavit, an esset voti obligatio.

6 Prima ergo quæstio est. An ignorantia, vel error circa substantiam, & circumstantias rei promissæ in ipsa inventas tempore, quo votum emissum est, auferat necessariam ad votum deliberationem, ac proinde ipsum irritet? Et id quidem præmittendum est, ad inducendam obligationem, vel obligatione contracta eximendum, non tantùm spectandum esse, quid hic faceret, aut non faceret, si prævidisset. Quare optimè ait *Vasquez* 1. 2. *q.*7. *art.*4. *disp.*30. *c.*4. *n.*24. & 25. non valere hanc consequentiam, agens si talem conditionem sciret, non faceret. Ergo actio ejus involuntaria fuit, & proinde non obligans. Quod idem docent optimè *Valentia* 2. 2. *disp.*6. *qu.*6. *puncto* 4. *in fine*, & *disp.*5. *quæst.* 20. *puncto* 4. *column.* 2. *concl.*4. probans longè aliud esse hominem ita quidpiam velle, ut si nosset, quamdam circumstantiam aliter se habere, non id voluisse; & aliud velle id conditionaliter, si talis circumstantia adsit, & non aliter. Prior enim ille voluntatis modus non semper inducit, ut simul ille etiam id nolit circumstantia aliter se habente, sed tantummodò fore, ut nollet, si id nosset. At posterior includit expressum actum, quo quis non vult, circumstantia illa, aut conditione aliter se habente. Quia semper actus esset involuntarius, & conditionalis, quoties si quis sciviset circumstantiam, noluisset, nil ferè ratum, & firmum esset in commerciis humanis. Siquidem illud, *si sciviissem*, ferè semper locum habet in hominum consiliis, utpote qui non omnes circumstantias norunt. Et rationem à priori reddemus *num.*8. & 10. & exemplis *ibi* allatis constabit. Et tenent *Cajetanus*, & *Sotus*, quos *eo num.*10. referemus.

7 Hinc deducitur, ad obligationem, vel deliberationem necessariò debere esse actum aliquem de præsenti in voluntate, saltem virtualem, quo voluntas velit, aut nolit illud. Quod exemplis constabit. Sicut non sufficienter colligitur dispositum esse à testatore, vel ab alio aliquid ex eo, quod certissimum sit fore, ut si advertisset, ita disposuisset, sed requiritur, ut ex verbis dispositionis ita deducatur, fuisse disponentis voluntatem. Ut ex multis probavi *lib.*7. *de matrim. disput.*90. *n.*11. Atque ita optimè *Molina tom.*1. *de justitia*, *disput.*209. *colum.* 2. *concl.*1. ait, ut donatio sit nulla tamquam involuntaria defectu causæ, exigi adesse tempore donationis actualem, aut quasi habitualem voluntatem non aliter donandi, & ut donatio aliter facta sit nulla. Item, quia nullus dicet excusari quempiam a rei alienæ restitutione ex eo, quòd sciat petitam à creditore remissionem concedendam esse; aut licere furari, eò quòd sciatur fore, ut dominus rei daret petenti. Sed oportet, ut moraliter sciatur dominum illius rei per virtualem voluntatem actu velle remittere, vel transferre dominium, etsi mallet licentiam peti. Quare optimè *Nav.* hoc explicuit *summa c.* 17. *Latinè n.* 122. *Hispan. n.* 123. agens de nemorum custodibus permittentibus aliquos cædere ligna, dicens non sufficere ad custodes excusandos, scire concedendam cædenti à domino licentiam, si ea peteretur; sed oportere nosse placituram domino illam lignorum cæsionem.

8 Quod si petas, ex quibus deducetur hæc voluntas actualis, aut virtualis vovendi, sic quasi conditionaliter, ut non aliter vovens obligari velit, nisi existente illa circumstantia, in qua errat; vel non obligandi se tali casu occurrenti, vel ad talem eventum? Duplex regula assignari potest. Prior est deducta ex ipsius actionis substantia. Attendenda est ipsa actionis substantia, & si illa non ignoratur actio, non est in voluntaria, etsi erretur circa aliquas circumstantias accidentarias, quamvis secluso eo errore actio illa non fieret. Hanc docet optimè *Vasquez* 1. 2. *quæst.* 7. *artic.* 4. *disput.* 30. *c.* 4. *num.* 25. & 26. Et variis exemptis probat. Ut si quis eleemosynam pauperi eroget ignorans suum esse inimicum, nec id sciens largiturus, valet eleemosyna. Quia ad ejus substantiam sola recipientis paupertas pertinet, in qua non erratur. Circumstantia autem inimicitiæ ignorata, & error ea sola involuntaria reddunt, in quæ cadunt. Cum ergo actionis substantia sit potissimum, quod in ea spectatur, circumstantiæ autem accidentariæ pertineant ad eam secundùm quid; quando substantia est cognita, etsi hæ circumstantiæ ignorentur, actio est simpliciter voluntaria, etsi in voluntarium secundùm quid immixtum habeat. Id etiam constabit ex dicendis *n.* 10.

9 Posterior regula deducitur ex potissimo voventis fine, ex eo enim ejus voluntas declaranda est. Quod constat, quia ideò communis sententia tradit legem ex proœmio intelligendam, ut diximus *lib.* 2. *de matrimon. disput.* 37. *n.* 3. quia in eo finis legislatoris, ejusque intentio declaratur. Cùm ergo votum sit quædam lex privata ex voventis voluntate consurgens, & juxta illam vim obligandi habeat, dum de expressa voluntate non constat, deducenda erit ex potissimo voventis fine, quo ad eam sibi legem imponendam ductus est. Cujus exempla subjecimus *lib. præcedenti c.* 18. *à n.* 3. ubi in variis casibus diversimodè intelligi juramenta, & vota non ludendi, juxta varios jurantium, & voventium fines explicuimus.

10 His præmissis, prima conclusio sit. Ignorantia voventis merè negativa, quæ, nempe, est absque positivo aliquo errore circa rem promissam, non irritat votum. Hoc est, voventem non penetrare quod promisit, & difficultates in eo contentas, quas si omnino penetrasset, aut advertisset, aut fuisset expertus, neutiquam vovisset non eximi à voti obligatione. Quia ea, quæ non satis penetravit, & quæ in particulari non erat expertus, sunt, quæ in promissione continentur, adnexave rei promissæ sunt ac proinde ea omnia promisit, sibique imputet rem non satis expensam, & cognitam se promisisse. Præterea, quia ex eo, quòd his difficultatibus cognitis non voveret, rectè colligitur id votum non emittendum, nec fore voluntarium iis cognitis; at postquam absolutè, & absque aliqua conditione vovit, nec ad vovendum ductus est ex earum difficultatum ignorantia, votum est absolutè voluntarium. Et sicut contrariæ circumstantiæ ignoratarum non concurrerunt ad votum, nec illius causa fuere, ita nec ea ignorantia ejusmodi circumstantiarum, quæ disponentem retraherent a vovendo, id reddit involuntarium, ac proinde est validum. Tandem, quia voti valor non petit omnium difficultatum considerationem, sed deliberatione ad mortalem culpam sufficienti contentus est. Ut diximus *c. praced. n.* 2. Et ideò omnes Doctores *ibi* citati faciunt pro hac parte. Et in propriis terminis docent *Cajetan.* 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 3. *column. penult. vers. Ad hoc dicitur*, *quòd de voto*, & *in summa*, *verbo Votum c. penultimo*, *in fine*, & *ibi Armilla n.* 11. *Sotus lib.* 7. *de just. quæst.* 2. *art.* 1. *ad* 3. *versic. Ex his quæ*, *Molina tom.* 2. *de just. disp.* 272. *column.* 5. *versic. Quartum valdeque*.

11 Secunda conclusio. Si sit positivus error circa rei promissæ substantiam, idest, circa difficultates magni momenti, notabiliterque existimationem voventis superantes, quibus cognitis non vovisset, votum est involuntarium, & irritum. Secùs si sit circa accidentarias circumstantias, idest, quæ non sunt magnæ considerationis, nec excedunt notabiliter voventis existimationem. Hæc constat ex dictis *numero octavo* ubi probavimus solùm priorem ex his erroribus reddere actum involuntarium, ac proinde irritum. Et docent *Sotus lib.* 7. *de justitia*, *quæst.* 1. *art.* 2. *col.* 6. *versic. Scisciturís autem*, *Arragon.* 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 1. *fol.* 966. *colum.* 2. *versic. Infero tertiò*, & *fol.* 967. *col.* 1. *in solutione ad confirmationem tertii*, *Ludovicus Lopez* 1. *par. instructorii cap.* 50. *in fine*, *Manuel* 2. *tom. summæ*, *cap.* 92. *num.* 4. Exemplum hujus adhibet *Sotus*, ut si quis deceptus ab alio circa observantiam delectus ciborum in aliqua religione, aut jeiuniorum, aut aliquius valde difficilis, eam voveret, minimè voturus secluso errore, votum non obligat; secus si circa minutiora decipiatur. Rursus exemplum adhibent *Sotus*, *Manuel.* & *Aragon.* si quis alium fallat, dicens Romam non longè distare, cum longissimè distet; aut Hierosolymam posse absque navigatione adiri; quam ob causam is deceptus peregrinationes has voveret, non ligaretur voto; secùs si deceptio esset circa majorem itinerum amœnitatem, quàm re vera est. Et quamvis Doctores hi non loqui videantur de errore positivo, quo quis à se ipso decipitur, sed quando ab alio decipitur; & reddunt rationem, ob injuriam voventi irrogatam. At ratio potissima non est injuria; quia Deus, cui vovetur, nullam intulit, & sæpè, nec homo decipiens, qui ita esse existimabat. Sed ratio est, quam *n.* 8. tradidi, nimirum, defectus voluntatis, ubi est error circa notabiles circumstantias, non autem ubi est circa minutiores. Quare cum idem voluntatis defectus reperiatur in eodem errore undecumque proveniente; nil refert unde ille proficiscatur, & sive sit cum injuria, sive absque illa.

12 Rem autem, circa quam est error, esse parvi, aut magni momenti, ut ex eo irritetur, aut non irritetur votum, non est absolutè, & in se spectandum, sed in ordine ad materiam promissam; idque prudentis arbitrio perpendendum est. Quia cum id perpendatur ad videndum, an augeat notabiliter materiam promissam, nequit ipsius gravitas, nisi in ordine ad materiam promissam considerari. Et ita error quinque leucarum erit magnus in peregrinatione ad locum, quem quis solis quinque distare existimabat; cum tamen distet decem. At nec error decem leucarum erit notabilis respectu loci existimati à vovente distare solis centum, cum tamen distet centum, & decem.

13 Quòd si perpensis omnibus circumstantiis, dubiam sit, an res illa in qua erratur, sit notabilis, necne, crederem in hoc dubio judicandum in voti favorem, ut censeatur non notabilis ad votum irritandum, etiamsi suspicio sit esse notabilem; secùs si pro utraque parte sit assensus opinativus, licebit enim utramvis, etsi minùs probabilem sequi. Ut in simili errore latiùs probabimus *n. ult.*

14 Etsi autem temperanda hæc conclusio, quando error est invincibilis. Quia, scilicet, vovens non dubitavit aliter se habere rem promissam, quàm ipse existimabat. Secùs, quando fuit vincibilis, quod de hoc dubitarit, nec diligentiam adhibuerit ad veritatem rei promissæ assequendam. Quia tunc non est involuntaria illa major difficultas, sed virtute est volita. Cum hujusmodi ignorantia non tollat voluntarium. Ut diximus *lib.* 1. *c.* 17. *n.* 1. Et sibi imputare debet hujus diligentiæ omissionem.

15 Secundò est intelligenda, ut obliget, tunc votum quo ad substantiam, & circumstantias accidentarias inspectabiles à re promissa. Ut quando putavit vovens Romam distare centum leucis, & distat centum, & decem, tenetur ad omnes eas. Quia eæ circumstantiæ inseparabiles censentur virtute volitæ in substantia rei promissæ cognita. At si conjungeretur voto aliqua circumstantia separabilis à re promissa, atque esset error notabilis in illa circumstantia, esset votum involuntarium quo ad illam, nec obligaret ad illam, sed quo ad solam substantiam, & cæteras circumstantias. Ut si quis voveret se iturum Romam indutus sacco, nec circa peregrinationem erret notabiliter, sed quo ad solam sacci circumstantiam à voto separabilem, tenebitur ire, sed cum sacco.

16 Tertiò est limitanda, nisi is error non fuerit vovendi causa, nimirum, quia vovens tempore voti emisit ita affectus fuit ad rem promissam, ut etsi eas circumstantias nosset, nihilominus eam promitteret, tunc enim is error non irritat votum. Et ita Doctores *n.* 11. allegati eam conclusionem docentes loquuntur, quando vovens secluso errore non voveret. Et ratio est, quia in hoc casu dolus & error non dedere causam voto, & in virtute illius actus vovendi non exclusus est hic casus, imò est virtute volitus, & adest voluntas interpretativa. Ut optimè ait *Vasquez.* 1. 2. *q.* 7. *art.* 4. *disp.* 30. *c.* 4. *num.* 29. Et ita *lib.* 1. *de matrim. disp.* 65. *num.* 2. probavi sponsalia ex simili errore inita valere. Et triplex fortissimum argumentum contra hoc militans *ibi num* 1. proposui, & solvi *num* 3. At ubi non constat de hac voluntate, etsi de illa suspicio sit, votum non obligabit. Quia constat de errore circa notabiles circumstantias, qui ex se est causa involuntarii, ac proinde præsumptio est, ut is actus sit involuntarius. Dum ergo non constat de ea voluntate excusante, & reddente voluntarium, potior est pars, ut sit involuntarius, ac proinde, ut votum non obliget. Quòd si utrimque sit probabilis assensus opinativus, integrum est utrilibet, etsi minùs probabili adhærere.

17 Ex his deducitur, errorem circa voti substantiam, non solùm ipsum votum quo ad ejus substantiam irritare, sed etiam quo ad accidentia cognita, illi substantiæ accessoria. Ut si quis errore putans Romam prope esse, cum tamen longissimè distet, voveret illuc peregrinari indutus sacco, sicut non tenetur ob errorem ire Romam, ita nec indui sacco, in quo non erravit. Quia corruente principali corruit accessorium. *Regula Cum principalis*, 139. *ff. de regulis juris*.

SUMMARIUM.

An firma sit regula, ut nemo per votum, vel juramentum obligetur ultra id, ad quod se obligare voluisset, si advertisset? Refertur duplex sententia, num. 18. & 19.

*Conciliantur hæ sententiæ, & explicatur, quando rerum mutatio deobliget à voto, vel juramento, n.*20. 21. & 22.

An omnia, quæ impedirent à principio votum, vel juramentum emitti, si nota essent, impediant ejus valorem, cum eo emisso superveniunt? n. 23.

Quando impossibilitas superveniens, sive perpetua, sive temporalis, sive quo ad totum, sive quo ad partem deobliget à voto, juramentòve? Et quid, quando ad tempus, materia bona sit indifferens, mala, vel majus bonum impediens? numero 24.

An superveniente impedimento perpetuo absque voventis, aut jurantis culpa, teneatur per alium implere; aut commutationem, dispensationemve procurare? n. 25.

Quid, quando vovens, vel jurans, tunc norat se impeditum esse ad ea exequenda? n. 26.

Quid, si fuerat in mora implendi, & post supervenit impedimentum? n. 27.

Quid, si id votum erat homini intimatum, & ab eo acceptatum; vel erat promissio homini facta, & promittens fuit in mora? n. 28.

An difficultas nova superveniens excuset à voti, vel juramenti obligatione? n. 29.

An vovens religionem tempore adolescentiæ, excusetur ab obligatione, si jam senex factus nondum implerit? n. 30.

Promissæ homini facta etiam jurata, an obliget, quando sit postea magis noxiva promittenti, quàm utilis ei, cui sit? num. 31.

An promissio jurata deobliget ratione ingratitudinis superventientis? num. 32.

Quid, si tempore voti, vel juramenti, quis eo affectu esset, ut nulla rerum mutatione retraheretur? n. 33.

Quid, si est dubium, suspicio, vel opinio, an mutatio sit tanta, ut deobliget à voto, vel juramento? n. 34.

Post n. 34. invenies alia summaria, quæ desiderantur.

18 Quæstio secunda. An quando non est error tempore voti, vel juramenti, circa substantiales eorum circumstantias, seu difficultates, sed postea illæ mutantur, deobligent votum, & juramentum robus sic mutatis? Plerique Doctores hanc tradunt regulam, ut nemo per votum, aut juramentum, promissionemve quamcumque obligetur ultra id, ad quod se obligare voluisset, si id adverteret, dum promisit. Ita docent *Innocentius cap. Veniens num. unico, de jurejurand. & ibi Abbas num. 4. Anton. c. Quemadmodum num. 13. eodem tit. Hostiens. summa eod. tit. num. 3. versic. Item si juro stare, D. Anton. 2. p. tit. 10. c. 6. §. 5. Angelus verbo Juramentum 4. in fine principii, Sylv. verbo Votum 2. qu. 17. in fine, & verbo Juramentum 3. qu. 1. particula 9. & 9. 2. & verbo Juramentum 4. qu. 6. & qu. 13. in fine, Tabiena verbo Jurare, qu. 15. num. 16. Armilla verbo Juramentum numero 35. in fine, Navarr. summa cap. 18. Hispanè num. 5. Latinè nu. 7. in fine, Molina tomo 2. de just. disputat. 272. column. 2. versic. Deinde ea rerum mutatio, & column. 7. notabili 4.* Et satis hoc significant Auctores *num.* 23. referendi, in alia regula ab ipsis tradita *ibi* adducenda. Hinc infert *Molina ibidem*, eam rerum mutationem à promissionis executione deobligare, quæ si promittenti occurreret, dum promisit, eam exciperet, aut de ea tunc interrogatus responderet, mentem suam non esse in eo eventu se obligare, quamvis absolutè promiserit nil de illis eventibus cogitans. Ducuntur hi Doctores, quia liberalis promissio non est extendenda ultra promittentis intentionem. At intentio hujus est, nolle se in eo eventu obligare. Sicut enim in generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset in specie verisimiliter concessurus; *regula In generali 81, de regulis juris in 6.* ita in promissione absoluta non veniunt eventus, quos exciperet promittens, si in speciali cum his, vel aliis circumstantiis, sibi proponerentur. Et confirmatur, quia votum est lex quædam privatam, quam vovens sibimet imponit. At in legibus locum habet epicheja ad excipiendos eventus tamquam in lege non comprehensos, quos legislator sibi occurrentes exciperet.

19 Hanc regulam impugnant alii. Quia ea retenta nullus esset in rebus humanis firmus contractus. Quippe sæpè contingunt aliqua, quæ si fuissent prævisa, contractus non celebrarentur, nec ad eum eventum se contrahentes obligassent. Præterea, quia, *ut n. 6. & 7.* probavimus, non satis est fore, ut si quis adverteret, vellet, aut nollet; ut subinde virtute censeatur velle, aut nolle, sed opus est aliquo actu saltem virtuali in voluntate, qui eum casum excludat. Quem tunc contingere *n. 8. & 9.* probavimus, quando substantia rei promissæ, aut finis promittentis mutatur. Et pro hac parte sunt, quæ diximus *n. 10. ex Cajetano, Armilla, & Soto.* Et in propriis terminis eam impugnant *Cajetan. 2. 2. q. 88. art. 3. column. penultima, versic. Ad hoc dicitur, quod de voto, & in summa, verbo Votum, c. penultimo, in fine, ubi Armilla num. 11. Sotus lib. 7. de just. qu. 3. art. 1. ad 3. versic. Ex his, quæ dicta sunt, Nav. summa c. 12. n. 39. Ludovicus Lopez 1. p. instructorii c. 43. in fine, Valentia 2. 2. disput. 6. quæst. 6. puncto 4. in fine.*

20 Sed, ut utramque sententiam conciliemus, certissimum est, rebus mutatis excusari quempiam à voti, juramenti, vel promissionis obligatione. Quod in promissione docuit *Seneca*, quem refert, & sequitur *D. Th.* ab omnibus receptus *1. 2. qu. 110. art. 3. ad 5.* Et fatentur universi, etsi promissio illa voto, vel juramento firmata sit. Hæc enim intelligunturbus in eodem statu permanentibus. Ut constat ex *c. Quemadmodum 25. de jurejurand.* & ex alis textibus, & Doctoribus, quos refert, & sequitur *Gutierez de juram. 1. p. c. 29. n. 6.*

21 Non tamen quæcumque rei promissæ mutatio satis est, ut votum, vel juramentum, vel promissio deobligent, sed exigitur notabilis mutatio. Quod per se notum est. Et docet optimè *Enriquez l. 11. de matrim. c. 14. n. 1. in fine*, nec aliquis hoc negat; alioquin passim dissolverentur omnes promissiones, omniaque vota, & juramenta cessarent. Cumaliqua rerum mutatio sit frequentissima. Et hoc solùm probant rationes *n. 18.* adductæ.

22 Nec est firma regula in universum intellecta, quam ex multis Doctoribus retuli *n. 18.* nempe, eam mutationem satis esse, ad quam vovens, vel jurans de hoc interrogati dicunt fore, ut non se obligassent ad eam, si prænossent. Quia rationes adductæ *n. 19.* & Doctores *ibi* allegati contrarium concludunt. Sed ea regula limitanda est, ut intelligatur, quando mutatio rei promissæ est ita notabilis, ut quasi in alio statu eam constituat, & videatur diversa res ab ea, quæ promissa est, ad quam ille se intendit obligare. Sicut in simili diximus *n. 11.* non quemcumque errorem circa rem promissam irritare, sed quando contingit circa notabiles illius circumstantias variantes ejus substantiam. Et sicut *n. 13.* diximus, hoc non esse absolutè considerandum, sed respectu rei promissæ; ita idem in hac mutatione dicendum est. Quare optimè dicunt *Cajetanus 2. 2. q. 113. ad finem, paulò ante solutionem ad 1. objectionem, & Molina tomo 2. de justitia disp. 272. col. 4.* hanc mutationem prudentis arbitrio æstimandam esse, spectatis qualitate, & quantitate mutationis rerum, collataque mutatione hac cum re promissa. Undè cautè *Navarr. summa c. 12. n. 11. in fine* dixit, jurantem se aliquid facturum, nec implentem ratione mutationis supervenientis, qua prævisa non se obligasset, peccare aliquando mortaliter, & aliquando culpæ immunem esse; ut significet non peccare, quando mutatio est notabilis modo exposito, secùs, quando non est ita notabilis.

23 Hinc deducitur, qualiter intelligenda sit alia regula, quam multi Doctores tradunt, quæ sic se habet. Id liberat voti, vel juramenti obligatione, quod si à principio accidisset, aut notum fuisset, impediret ea fieri. Hanc tradunt *D. Thomas 4. dist. 38. q. 1. art. 3. qu. 1. ad 1. & ibi Major. in qu. 1. columna 5. coroll. 5. Carthusianus quæst. 2. §. Quæritur item, Archid. c. Qui bona 17. quæst. num. 4. Abbas cap. 1. num. 4. de voto, Angelus verbo Pactum num. 4. & verbo Votum 3. in fine principii, Sylvest. verb. Votum 2. quæst. 1. & verbo Juramentum 3. qu. 1. particula 3. in fine, & verbo Pactum qu. 4. in fine, ubi Tabiena qu. 2. num. 3. Armilla num. 2., Molina, C. de jejunio, qu. ultima, ad 4. Angeles floribus 2. p. qu. unica de voto, artic. 2. difficult. 3. concl. 5. Enriquez lib. 11. de malrim. c. 14. in fine.* At hæc regula non intelligenda est de impedimento voluntatis voventis, quasi quidquid eam à vovendo, vel jurando retraheret, si eventurum præsciretur, excuset à voti, & juramenti obligatione. Id enim non est in universum verum. Ut diximus *numero precedenti*. Sed intelligenda est de impedimento respectu materiæ voti, vel juramenti ita ut sensus sit. Omne id, quod ante votum, vel juramentum reddidisset materiam promissam inhabilem ad eorum producendam obligationem, si post superveniat, illa irritat. Ut sicut non valerent, quando materia esset ab initio mala, simpliciter impossibilis, indifferens, aut majus bonum impediret, ita si quæ à principio erat legitima materia, efficiatur postea mala, indifferens, omnino impossibilis, aut majus bonum impediens, efficiet, ut cesset obligatio. Et ita explicant *Cajetanus in summa, verbo Votum, capitulo penultimo, statim in principio, & 2. 2. qu. 88. art. 3. colum. penultima versicul. Ad hoc dicitur, quod de voto, Sotus lib. 7. de justitia qu. 2. art. 1. ad 3. versicul. Ex his quæ dicta sunt, Franciscus Garzia de contractibus 1. p. cap. 3. fol. 56. Val. 2. 2. disputat. 6. q. 6. puncto 3. columna 8. Emmanuel Sà summa, verbo Votum numero 19.*

24 Secundò deducitur, quando impossibilitas, aut impedimentum implendi voti est perpetuum, quòd posteà supervenit, cessare omnino voti obligationem; si verò sit ad tempus, postea sublato impedimento esse implendum. Ut si quis dum esset dives, promisit eleemosynam, & in eam egestatem devenit, ut implere nequeat, excusatur pro tunc, ac si postea pinguiorem fortunam adipiscatur, tenebitur implere. Ita docent *Palud. 4. d. 38. quæst. 3. articulo quarto conclus. 2. numero 24. D. Anton. 2. part. titul. 11. capitul. 2. §. 4. Molina tom. 2. de just. disputat. 272. col. 4. notabili 2.* ubi limitationem quamdam adhibet. De qua dicemus *numer. 50.* Quod si vovens nequeat totum implere, benè tamen partem, tenetur ad partem. Ut docent *D. Thom. 4. d. 38. qu. 1. art. 3. quæst. 1. ad 1. Turrecr. 17. quæst. 1. in summa, artic. 4. ad 3. Cajet. in summa, verbo Votum, capit. penultimo D. Anton.* proximè allegatus, *Sylvest. verbo Votum 2. quæst. 1. Navarr. summa cap. 12. num. 39. Valentia 2. 2. disput. 6. qu. 6. puncto 4. versic. Secundum, quod notari debet.* Sed de hujus veritate, an ita sit in universum, dicemus *c. 10. nu. 6.* Et eadem ratione idem dicendum est in aliis mutationibus materiæ, nam si quæ à principio erat bona, efficiatur in aliquo casu mala ob circumstantiam occurrentem, aut indifferens, aut majus bonum impediat; si hæc sint perpetua, extinguetur omnino prior voti obligatio, si autem sint temporalia, & votum habeat tractum successivum, aut non erat alligatum tem-

tempori, quod jam transiit, suspendetur pro tunc voti obligatio; at eo tempore transacto, quando cessat ille defectus materiæ, redibit voti obligatio. Ut de materia bona facta indifferenti dicemus *n. 50.* Et quando sit mala ad tempus, aut majus bonum impediens, sit exemplum. Promisit quis jejunare omnibus sextis feriis, occurrit aliquid majus bonum, ut illis diebus ministrare in xenodochio pauperibus ejus ministerio valde indigentibus, quod non stat simul cum jejunio, vel incidit in morbum indigentem esu carnium, vel indiget suis operis cum jejunio incompossibilibus ad parentibus, aut suæ familiæ subveniendum, vel solvendum creditoribus, si mutatio hæc materiæ perpetua sit, omnino cassabitur voti obligatio. Si autem sit ad tempus, pro eo non obligabit, at cessantibus his impedimentis, tenebitur in posterum votum servare. Quia eadem est ratio, ac de impossibilitate superveniente.

25 Nec superveniente impedimento, etsi perpetuo absque voventis culpa, qui non fuit in mora, tenetur vovens per alium implere votum personale; vel in aliud commutare, quodcumque votum sit. Quia non se obligavit ad implendum per alium, nec ad procurandam commutationem, sed ad implendum per se ipsum; quod intelligitur, quamdiu id possibile sibi fuerit. Nec obstat, *c. Quod super his 8. de voto*, ubi deciditur, injungendam esse commutationem laborantibus impedimento perpetuo. Quia respondent *Abbas, Angelus, Sylvest.* statim allegandi, id non fuisse verum impedimentum reddens impossibilem voti executionem, sed reddens eam difficiliorem; quæ difficultas non excusabat. Et ita tuentur *D. Thom. & Turrecr. numero precedenti* allegati, *Innocent. c. Licet, in initio, de voto, & ibi Hostiens. numero 6. Abbas numero 13. & c. primo numero quarto eodem tit. Abulensis c. 13. Num. quæst. 54. D. Anton. 2. part. titul. 11. c. 1. §. 5. Angelus verbo Votum 3. numero 7. Sylvest. verbo Votum 2. quæst. 6. & 10. Navarr. summa c. 12. numero 55. Azor. libro 11. institut. moralium c. 15. quæst. 12. Manuel, secundo tomo summæ cap. 99. numero 10.*

26 Hoc tamen limitatur, nisi vovens, vel jurans tempore voti, vel juramenti certus erat fore, ut in perpetuum non posset votum illud, aut juramentum implere. Tunc enim ne votum, & juramentum ridicula sint, & ne hi censeantur irridere, censendum est fuisse animum obligandi se ad implendum per alium, nisi aliud de eorum mente constet. Ita docent *Abbas eo c. Licet, num. 13. Angelus eo. numero 7. Sylvest. ea. quæst. Navarr. & Manuel numero precedenti* allegati. Et quamvis *Hostiensis ibi* relatus indistinctè hoc afferat, quoties vovens, vel jurans norant se esse impeditos. At meliùs *Abbas, Angelus, & Sylvest.* id dicunt tantùm esse verum, quando norant impedimentum fore perpetuum. Et addo, nec ad id teneri, quando non certi, sed dubii de perpetua impedimenti duratione erant. Quia tunc non essent hæc ridicula, sed intelliguntur, si fortè aliquando id impedimentum cessarit.

27 Quod si vovens, vel jurans fuerint in mora solvendi, & ita culpa sua in eam impotentiam inciderint, tunc ajunt quidam, teneri eos per alium implere, aut commutationem procurare; ne ex culpa sua lucrum exemptionis ab ea obligatione reportent. Ita *Abbas eo c. Licet, numero 14. D. Anton. & Angelus numero 25.* allegati Et faciunt pro hac sententia *Ricardus 4. d. 38. art. 5. quæst. 1. ad 1. & ibi Carthusianus quæst. 2. §. Quæritur*, ubi dicunt, teneri hunc ad aliquam compensationem. At verius est, nil quo ad hoc referre, sive culpa sua, sive absque culpa in eam impotentiam inciderint. Quare quando culpa sua inciderunt, tantùm tenentur de præterita culpa pœnitentiam agere, ac propositum implendi habere, si fortè aliquando impotentia cessarit. Quia non aufertur res ex justitia debita, sed ex religione; cujus transgressio obligationem restituendi non inducit. Et pro hac sententia sunt *D. Thomas 2. 2. quæst. 88. art. 3. ad 1. & 4. d. 38. quæst. 1. artic. 3. quæstiuncula 1. ad 1. Turrecr. 17. qu. 1. in summa, art. 4. ad 3.* ubi dicunt, hos teneri ad dolendum de peccato, & nullam aliam satisfactionem expressérunt. Et tenent expresè *Sylvest. Navarr. & Manuel. numero 25.* allegati, *Abulensis c. 30. Num. quæst. 48. in fine, Valentia 2. 2. disputat. 6. quæst. 6. puncto 4. col. 8. versic. Verum circa hujusmodi.*

28 Sed quid, si id votum esset in favorem alicujus operis pii, aut pauperis, & esset eis intimatum, ab illisque acceptatum: ut si illis quis promisisset certum equum, & jam implere nequit, eò quòd alteri eum vendiderit, aut postquam fuit in mora, jam perierit? Eadem est de hoc difficultas, ac de promissione homini facta ab eoque acceptata, quia ultra votum est promissio illi homini facta. Et quidem asserentes promissionem factam ex sola fidelitate obligare (quos retuli *l. 1. de matr. disp. 5. num. 17. & 18.*) censebunt, hunc non teneri ad interesse, & damna inde secuta, utpote qui non legis justitiæ, sed solius fidelitatis transgressor est. Et in propriis terminis docent *Enriquez lib. 13. de excommunicat. c. 17. numero 5. & 6. Franciscus Garzia de contract. 1. p. c. tertio fol. 58.* At dicendum est, teneri hunc restituere. Quia hæc promissio obligat ex justitia. Ut ex multis probavi *ea disputatione numero 20.* Et ita docent *Molina lib. 5. de sacrorum hominum contin. c. 232. Lud. Lopez 1. p. instruct. c. 180. versf. Insuper res uni, Mol. to. 2. de just. disput. 272. column. 4. notabili 1.*

29 Tertiò deducitur, quid dicendum sit de difficultate nova superveniente, an excuset à voti, vel juramenti obligatione. *Abbas c. Non est, numero sexto de voto*, id negat, concedit tamen esse causam faciliùs dispensandi. Et idem docet de promissione jurata allegato *Ludovico Lopez Manuel 2. tomo summæ cap. 27. numero 1.* Sed contrarium tenent *Glossa eo c. Non est, verbo Auctoritate, Host. ens. summa tit. de jurejurando, numero tertio.* Sed utraque sententia conciliandæ est juxta dicta *numero 11.* ut posterior vera sit, quando difficultas superveniens non erat intrinseca rei promissæ, & in ipsius substantia inclusa, sed est nova, notabilemque mutationem in re promissa, aut jurata faciens, quæ si est temporalis, suspendit pro eo tempore, quo durat, obligationem. Si vero perpetua, omnino aufert. Ratio est, quia ea notabilis mutatio facit, ut in eo eventu sint votum, & juramentum involuntaria. (Ut *eo numero 11.* probavi.) Et juramentum promissioni additum recipit omnes illius conditiones. (Ut dixi *libro præcedenti c. 17. numero 13.*) Quare optimè *Molina tomo 2. de justitia, disputat. 272. column. 5. notabili 3.* ait, omnem rerum mutationem à promissione deobligantem, deobligare quoque ab illa jurejurando confirmata. Item, quia juramentum intelligitur rebus non mutatis. (Ut probavi *hoc capitulo numero vigesimo.*) Prior autem sententia est vera, quando difficultas non est ita gravis.

30 Quartò deducitur, enm, qui adolescentiæ tempore vovit religionem, nunc autem est ita senex, ut viribus ad religionis onera subeunda destitutus sit, esse à voti obligatione liberum. Quia est notabilis mutatio rei promissæ respectu hujus. Ita relato *Victoria* tenet *Ludovicus Lopez prima parte instructorii c. 44. columna prima versiculo, Sed de illo.* Et satis favet *Sotus lib. 1. de justitia, quæst. 6. artic. 3. columna 6. versic. At si percenteris*, ubi ait, si postquam quis ire Hierosolymam, aut religionem ingredi vovit, accidat perpetuus morbus, aut debilitas impediens, eum à voto excusari. Quod intelligo, quamvis hic sua culpa votum tempore juventutis non implerit, prout tenenatur. Quia quo ad hanc obligationem in posterum exequendam nil hoc confert. Cum moralis impossibilitas exequendi nunc adsit ratione prædictæ mutationis. Nec tenetur illud commutare; sed de præterita negligentia dolere. Juxta dicta *nu. 27.* Nec etiam ob eamdem rationem tenetur ad id, etsi monachi eum admittere velint.

31 Quintò deducitur, non obligare promissionem homini factam, quando ea supervenit mutatio, ut res promissa noceat magis promittenti, quàm sit utilis ei, cui promittitur. Ut si advocatus suum patrocinium in aliqua causa permiserint, & supervenit morbus proprii filii, cui necessariò debet subvenire, nec subveniendo potest promissionem servare, non tenetur ad illam. Quia hæc difficultas superveniens censetur magni momenti in ordine ad promissionem illam. Ita *Cajetan. 2. 2. quæstione 113. ad finem paulò ante solutionem ad 1. Navarr. summa Hispana c. 18. n. 4.* Quod est verum, etiamsi ea promissio sit jurejurando confirmata. Juxta ea, quæ *num. 29.* diximus.

32 Sextò deducitur, ratione ingratitudinis supervenientis deobligare promissionem homini factam. Cum enim donatio perfecta possit ratione illius revocari, *l. finali C. de revocand. donat.* Et tradunt *Sotus l. 7. de just. qu. 2. art. 1. ad 1. versf. Respondetur, quod non accipit, Mercado l. 6. de contractibus c. 16. Franciscus Garzia de contr. 1. p. c. 3. Aragom 2. 2. q. 88. ar. 3. fol. 991. column. 2. Molina t. 2. de just. disp. 272. ad finem.* Et hoc est verum, etsi ea promissio jurata sit: juxta ea, quæ diximus *num. 29.* Et hac ratione *lib. præced. c. 17. num. 16.* probavimus non servanti fidem non esse servandam etiam juramento firmatam.

33 Demum duo observanda sunt. Prius est, si eo affectu quispiam esset tempore voti, vel juramenti, ut nulla futura rerum mutatione prævisa retraheretur à vovendo, vel jurando, teneretur quæcumque mutatione secuta, dummodò possibilis maneat res promissa, & legitima voti, vel juramenti materia. Ut in simili diximus *numer. 16.* ob rationem *ibi* traditam, ubi etiam diximus in dubio non præsumi velle quempiam se obligare hac notabili rerum mutatione secuta. Quando autem promissio esset homini facta, oporteret, ne ratione hujus affectus posit dictis mutationibus supervenientibus revocari, ut is affectus sit illi homini intimatus verbis, aut signis, & promissio sid acceptata ab illo sit. Ratio est, quia promissio illa absolutè facta potest supervenientibus dictis mutationibus revocari. Ergo ut non possit, minimè satis est ille internus affectus. Quippe promissio homini facta, etiamsi juramento firmetur, in tantum obligat, in quantum ab homine illo, cui fit, acceptatur. Ut probavi *libro 1. de matrimonio disputatione 6. per totam.*

34 Posterius est, quoties est dubium, aut suspicio, an mutatio sit tanta, ut deobliget à voto, vel juramento, vel promissione, judicandum est in favorem horum vinculorum, & proinde ea obligare. Ut in simili dicemus *num. ultimo*; & in simili etiam diximus *num. 13.* Et insuper est specialis ratio in hoc casu; quia cum constet de voti emissi valore, & solùm dubitetur, an ita materia promissa mutata sit, ut maneat apta voti materia. tunc utraque hujus dubii pars est in Dei favorem, & illud tantùm quæritur, quid sit illis gratius, & nulla illius contradictionis pars est in voventis favorem directè, & per se loquendo. Quia tan-

tantùm dubitatur, an Deus acceptet, vel non acceptet materiam sic mutatam. Quando verò in rei debitæ solutione tota dubii ratio consurgit ex dubia creditoris voluntate, eligenda est ea pars, quam creditor vult magis eligi. Deus vero semper magis eligit, ut non omittatur res promissa absque dispensatione hujusmodi dubiis. Quia hoc magis cedit in ejus honorem tamquam tutius, & melius. Item, quia quando de præcepto constat, & est dubium, an adsit legitima causa excusans, obligat præceptum, utpote quod in eo dubio possidet. Ut probavi *lib. 1. hujus summæ capit. 10. numer. 9.* Cum ergo obligatio voti in hoc casu certa sit, & dubia excusatio ob mutationem materiæ ex apta in ineptam, vel in notabiliter difficiliorem, vel undecumque aliàs notabiliter mutetur, dicendum est in dubio hujus mutationis obligare præceptum illud voti, juramenti, promissionisve humanæ implendorum. Hinc tamen excipiendum est, nisi ea materiæ mutatio accidat, ut dubium sit, an in eo eventu sit bona, an potiùs mala; vel notabiliter corporali promittentis saluti nocens, in hoc enim dubio, quando præmissa sufficienti diligentia vinci non posset, deobligarent votum, juramentum, & quævis promissio. Quia stante hoc dubio est peccatum sic operari. Tandem, quando sunt opiniones, integrum est utrilibet etiam minùs probabili adhærere. Ut in simili dicemus *numero ultimo*.

SUMMARIUM.

An quando causa vovendi, vel jurandi, coincidit cum re promissa, vel est pars ipsius, error circa causam irritet votum, & juramentum? n. 35.
Quid, quando non coincidit, & est error circa illam, vel post cessat? Refertur duplex sententia, n. 36. & 37.
Quid sit causa finalis, & quid impulsiva? n. 38.
Causa impulsiva est etiam finalis. Et quotuplex est finis? n. 39.
Quando quis vovet principaliter ob aliquam causam, & minus principaliter ob aliam, an utraque sit finalis? n. 40.
An idem possit esse causa finalis respectu circumstantiæ, & impulsiva respectu voti principalis? n. 41.
Cessante finali voti, vel juramenti causa, hæc cessant; secùs sola impulsiva cessante, n. 42.
Explicatur textus c. Magnæ, de voto, n. 43.
Quid, si causa cesset culpa voventis, vel jurantis? n. 44.
Quid, si à principio erretur in causa finali, & quo tempore verificari debeat, ut obligent votum, & juramentum? n. 45.
Quid, si error sit vincibilis? n. 46.
Quid, si plures sint causæ, & una deficiat? n. 47.
Quid, si mater pro filii salute aliquid promittat, & antea ille moriatur; vel si quis falsò existimans se aliquod beneficium à Deo recepisse, aut institutum hæredem, aliquid voveat? num. 48.
Quid, si finis voti principalis sit verus, at circumstantia falsus? num. 49.
An si causa principalis à principio fuit falsa, vel si fuit vera, cessavit jam, ita irritetur votum, ut illa postea existente vera non convalescat? n. 50.
An defectus causæ impulsivæ reddat faciliorem dispensationem? num. 51.
Quid, si dubium sit, an causa cessans, vel in qua est error, sit finalis; aut de hoc sint opiniones? n. 52.

35 QUæstio ultima. An error circa causam juramenti, vel voti, reddat ea irrita; aut ipsius causæ postea cessatio efficiat ipsorum obligationem cessare? Et (ut diximus *n. 4.*) non agimus de professione, aut de votis constituentibus quempiam religiosum in Societate Jesu; de illis enim *ibi* diximus. Sed fermo est de aliis votis simplicibus. Et quidem causa vovendi, aut jurandi aliquando coincidit cum re ipsa promissa, aut est pars ipsius. Ut quando quis promirit, vel jurat peregrinationem, impulsus desiderio ferendi labores itineris. Et quando est error circa hanc causam, idem dicendum est, quod diximus *nu. 11.* de errore circa rem promissam. Aliquando verò causa non coincidit cum re promissa, nec est pars illius. Et de hac est quæstio prætens.

36 Quæstionem hanc communiter disputant Doctores in eo eventu, in quo causa voti erat tempore promissionis vera, & postea cessavit. Quando autem erat tunc falsa, & putata à vovente vera, ac proinde eo errore ductus vovit, neminem disputantem inveni præter *Ancharanum c. Magna n. 13. notabili 15. de voto*, ubi inter utrumque modum id discrimen statuit; ut si tempore voti emissi causa fuerit falsa, non obliget votum; secùs si tunc fuerit vera, & post cessarit. Ducitur, quòd in priori eventu votum caruerit principio obligationis; & ideò non mirum, si ex defectu illo reddatur irritum. At in posteriori fuit semel efficax: ac proinde defectus causæ superveniens id irritare minimè debet. Quippe faciliùs impeditur rem validè fieri, quàm ut semel validè facta valore suo destituatur. Et quo ad priorem partem favet ei *Molina t. 1. de just. disp. 209. col. 3. versic. Hoc loco*, ubi ait præsumendum esse non esse promittentis animum, intendere se obligare ad promissa exequenda, non existente causa, à quà quis motus est ad promittendum. Et ideò ait regulariter esse irritas promissiones ex causæ errore procedentes.

37 Quando autem à principio causa voti extitit, ac proinde valuit, at postea causa cessavit: quidam dicunt non cessare voti obligationem. Ducuntur ex *c. Magna, de voto*, ubi episcopus Trecensis votum Hierosolymitanæ peregrinationis Deo nuncuparat; pro assequenda suæ Ecclesiæ libertate ope Comitis Campaniæ, quem ibi esse existimabat. Et tamen cum post constaret illius ducis morte intentionem episcopi frustratam fuisse, consultus Pontifex id votum commutat, quasi supponens illud obligare. Quòd si dicas inuisionem Comitis illius nen fuisse causam finalem, sed devotionem sancta loca invisendi: obstant fortiter finalia illius textus verba, ibi. *Ad hanc autem indulgentiam tibi faciendam, specialiter nos induxit, quòd cum pro libertate Trecensis Ecclesia per dictum Comitem assequenda, præcipuè votum peregrinatione emiseris: eo sublato de medio, quia cessavere causa, facilius potuit cessare & effectus*. Ubi clarè videtur dici causam principalem fuisse inuisere illum Comitem. Et ideo hanc sententiam sustinent *Glossa ibi, verb. Ut veniret, Hostiens. ibi numero 21. Anton. numero 15. Anchar. numero 15. & cap. Ex parte, el 2. numer. 4. de convers. conjug.* Quod limitant *Gloss. & Anton. ibidem*, nisi causa sit voto expressa, vel intelligatur à jure. Tunc enim dicunt ea cessante cessare votum.

38 Sed ut meam sententiam explicem, oportet supponere duplicem esse causam, alteram finalem, & alteram impulsuam. Quid autem hæc sint, gravis est controversia inter Doctores. Ut potest videri in *Tiraquell. tractatu Cessante causa, tota limitatione prima*. At existimo in omnibus depositionibus voluntariis causam finalem esse, quæ ita animum ad disponendum movet, ut ad eam obtinendam res electa dirigatur, ita ut ea non existente quispiam minimè esset dispositurus. Impulsiva autem est, quæ animum jam ad disponendum determinatum impellit, seu incitat ad libentius; aut celeriùs, aut tali modo disponendum: ac proinde ea non existente opus quidem fieret, sed non cum eo modo, aut ita libenter, & celeriter. Quod sustinent *Antonius cap. Post translationem numero 35. de renuntiation. & ibi Abbas in secunda totius tituli illius lectura numero 18. Aymon consil. 142. numero 9. & consil. 19. num. 21. Beccius consil. 20. numero 10.* Et alii, quos refert *Tiraq. ea lim. 1. numero 36. & 37.* & innuit *Bartol. l. 2. §. fin. numero 1. in fine ff. de donat.* Et tenet *Vasquez 1. 2. quæst. 19. artic. 7. disputat. 70. cap. 3. num. 11.* Et in propriis terminis voti hòc indicant *Angelus verbo Votum 3. numero 5. Sylvest. Verbo Votum 2. quæst. 8.* explicant enim finalem voti causam esse eam, qua minimè existente non intendebat vovens se obligare. Et in materia dispensationis sic accipi has causas ostendimus *libro 8. de matrimonio, disputatione 21. num. 8.* Et ratio est, quia in omnibus his dispositionibus, quid sint causa finalis, & impulsiva, indagamus, ut ex illius defectu, non autem hujus, judicemus indispositionem esse involuntariam, ac proinde defectu voluntatis, deficere. Ergo ea verè dicetur causa finalis voluntatis, à qua ita dependet in disponendo, ut ea cessante nullatenus disponeret, ea autem impulsiva, à qua non ita dependet. Quia illius defectus virtute aufert voluntarium, non autem defectus hujus. Sed fortiter obstat huic definitioni textus in *l. 1. §. Sextum ff. de postulando*, ubi interdictum non esset fœminis postulare, nisi Calphurnia tam impudenter postulasset. Et tamen scribit *Jurisconsultus* eam non dedisse caulam finalem, sed legis finem fuisse, ut mulierum impudentiæ obviaretur, ut benè notat *ibi Glossa verbo Causam*. Item, quia in naturalibus videmus removens id, quod lapidis descensum prohibet, nullatenus esse ejus descensus causam, sed conditionem sine qua non. Cum tamen eo non removente, lapis minimè descenderet. Quibus rationibus *lib. 3. de matrimon. disput. 39. num. 14.* diximus cum multis, non esse semper verum, eam causam esse finalem, qua seclusa actus non fieret. Sed facilè respondetur nos non asserere, nec Doctores prædictos, quidquid est quovis modo occasio actus, qua oblata non fieret, esse finalem illius causam: sed quando re vera ea causa intellectu apprehenta ita voluntatem movet, ab eaque comparari intenditur per illum actum, ut ea cessante actus non fieret. At occasio, seu conditio sine qua non minimè movet animum, ut per actum comparare illam intendat. Ut actus ille Calphurniæ non induxit legislatorem ad legem illam indicendam, quasi per eam actum illum vitare intenderet: quippe qui ut jam præteritus vitari non poterat, & sic non est causa finalis illius legis, sed conditio sine qua non, seu occasio illius.

39 Hinc deducitur primo, re benè perpensa, tam causam finalem, quàm impulsivam, esse verè finalem. Quia utraque intentione apprehensa movet animum ad opus. Quòd solius causæ finalis est. Sed quia impulsiva supponit animum determinatum ad opus, & tantùm impellit ad faciliùs operandum, non dicitur absolutè finalis, sed finis impulsivus, seu causa impulsiva. Alia verò causa ita voluntatem determinans, ut illam assequi velit, ut absque illa actus non fieret, dicitur absolutè causa finalis, aut finis motivus. Ut benè notat *Vasquez n. praced.* allegatus.

40 Secundo deducitur, quoties aliquid principaliter voventem movet, aliud autem minùs principaliter, si ita utrumque voluntatem determinat ad vovendum, ut utriusque consequendi avida per eum actum non voverat alterutro deficiente, utrumque esse verè causam finalem, illud principalem, hoc autem minùs principalem. Ut potest contingere, quando quis vovet peregrinationem principaliter causa devotionis, & minùs principaliter causa invisendi fratris, quem ibi existimat vovens esse: & sic in similibus. Si enim illa minùs principalis causa ita comparari intendatur, ut absque illa voveret, est verè causa finalis, non totalis, nec principalis, sed partialis, & minùs principalis: ac proinde unus integer finis ex utroque constituitur. Nec obstat temporalem eum finem non esse formale virtutis religionis objectum, ad quam votum spectat, ut vel sic valeat esse partialis finis objecti voti. Quia, ut dicemus *c. 7. num. 25.* res temporalis ad honestum finem relata potest esse finis voti, etsi ad specialem Dei cultum non pertineat. Et licèt ad eum finem honestum non referatur, sed maneat indifferens, si non sit finis rei promissæ, sed solius voti, id non vitiat.

41 Tertiò deducitur, in uno, & eodem voto posse aliud esse causam impulsivam respectu voti principalis: finalem autem respectu alicujus circumstantiæ à voto separabilis. Ut si quis credens concessam indulgentiam peregrinantibus Romam sacco indutis, id voveret, ita motus ex indulgentia, ut ea cessante voveret peregrinationem, etsi non ita libenter: at neutiquam voveret indui sacco: tunc indulgentia est sola causa impulsiva peregrinationis: at est finalis respectu sacci.

42 His ergo præmissis, prima conclusio sit. Causa finali voti cessante cessat ejus obligatio: non autem cessante sola causa impulsiva. Et sic explicandi sunt textus *cap. Cum Cessante, de appellat.* & similes textus decidentes cessante causa cessare effectum, ut de sola finali intelligantur. Et ratio est. Quia obligatio voti in hoc eventu extingui debet ex tacita voventis voluntate, qui non intendit in eo se obligare. At ex solius causæ finalis cessatione deducitur hæc tacita voluntas: cum dependenter ab illa sola vovens se ad vovendum determinarit; ita ut illa nona existente minimè voveret. Et ita hanc sustinent *Anton. c. Ex parte, el. 1. nu. 14. de convers. conjugator. Abbas c. Magna nu. 14. de voto, Tiraquellus tract. Cessante causa, in fine principii, Angelus verbo votum 3. n. 5. Sylv. verbo Votum 2. q. 8. Azor. l. 11. instit. moral. c. 15. quæst. 3. Manuel. 2. tomo summæ c. 98. n. 2.* Et idem est de juramento, sive Deo, sive homini facto dicendum. Quia eadem est ratio defectus voluntatis se obligandi in illo eventu.

43 Sed fortiter urget textus *c. Magna de voto*, cui non satisfaciunt *Abbas, Tiraquell. Angelus, & Sylvest. num. praced.* allegati, dicendo fuisse causam impulsivam invisionem illius Comitis, quæ cessavit. Nam, ut probavi *n. 37.* clarè colligitur ex textu id fuisse causam finalem. Et ideò melius dicendo eam voti commutationem non fuisse necessariam, sed concessam ad majorem cautelam. Quod non obscurè significat Pontifex in ultimis illius textus verbis, dicens cessante illius voti causa potuisse quoque ejus obligationem finiri. Quasi dicat cessasse, si fuit causa finalis, secùs si fuit impulsiva. Et ideò non dixit cessasse, sed potuisse cessare. Nec obstat Pontificem appellare *ibi* hanc commutationem, indulgentiam, sive privilegium, & subinde debere aliquod operari. At nulla esset operatio, si votum non obligaret. Quia respondeo sæpè concedi privilegia ad pucandas conscientias, easque scrupulorum stimulis liberandas, etsi in rigore ea non essent necessaria. Ut probavi *l. 2. de matrimonio disp. 47. in fine*.

44 Limitatur tamen conclusio, nisi culpa voventis cessarit ea causa finalis: ut quia fuit in mora implendi voti, ac postea ejus finis cessavit: tunc enim tenetur ad votum. Ita *Manuel secundo tomo c. 98. n. 2.* Et ducitur, quia votum conditionale obligat non impleta conditione culpam voventis. Sed hanc limitationem non approbo. Tum quia fundamentum, cui innititur, est satis dubium. Ut agentes de voto conditionali dicemus. Tum etiam, quia esto id esset verum, est dispar ratio. Nam eo ipso quòd quis apponit conditionem, nidetur intelligere, si deficiat conditio ex aliarum causarum defectu, & videtur se obligare ad votum in casu, in quo culpa sua ea conditio deficit. At quando se obligat ad votum ductus aliquo fine, non se obligat ad procurandum, ne finis ille culpa sua desit. Et eum fuisse in mora ad solum præteritæ negligentiæ dolorem obligat. Ut diximus *numer. 27.* Si autem id votum esset intimatum homini, in cujus favorem emissum fuit ab eoque acceptatum, vel esset juramentum homini præstitum, teneretur implere. Quia mora tunc non excusat: ut *numer. 28.* probavi.

45 Secunda conclusio. Similiter non valebit votum, si à principio errarit vovens in finali voti causa vel juramenti, secùs autem, si in sola causa impulsiva. Et de hac causa finali est intelligendus *Anchar. cap. Magna, numer. 15. de voto*, dum ait errorem causæ vovendi irritare votum. Hæc conclusio constat ex præcedenti. Nam si defectus causæ finalis superveniens efficit cessare obligationem voti semel validi, ipso in eo casu non voluntarii, à fortiori impediet ab initio ejus valorem. Non autem impedit error in causa impulsiva: utpote qui non est causa, ut votum sit involuntarium. Debet autem verificari hæc causa finalis voti tempore, quod voto exequendo designavit vovens, vel si nullum designavit, tempore, quo obligare solet votum, cujus executioni nullum tempus præfixum est, v. g. vovit quis peregrinari Romam causa invisendi loca sancta, & fratrem suum, ita ut utrumque sit causa finalis, & tunc frater non erat ibi, at tempore, quo id votum ex termino voventi præfixo, vel eo non præfixo, quo ex natura rei deberet obligare, existat ibi, obligabit votum. Sicut de dispensatione diximus *lib. 8. de matrimonio disputatione 30. à num. 1. usque ad quartum*, nil referre falsitatem causæ tempore quo Romam mittitur ad dispensationem obtinendam, sed spectari, an vera sit tempore quo effectum sortitur, nempe, quando Pontifex eam concedit. Et ita quando votum habet tractum successivum, ut si quis promittat Deo numquam ingredi talem domum, vel tempore determinato, falsò credens ibi habitare fœminam, cum qua peccandi occasionem habeat, quamvis ibi tunc non habitet, & sic erret in causa, si postea toto temeore obligationi voti designato habitet ibi fœmina, obligabit votum. Quia pro eo tempore in quo adhuc votum exequendum est, verificatur finalis ejus causa. Et in hoc sensu est verum, quod tradit *Navarr. summa latina capit. 12. numer. ultimo* Ut dicemus *capit. septimo num. 19.*

46 Est tamen limitanda conclusio, ut intelligatur, nisi error sit vincibilis. Si enim dubitans de finis veritate, nec indagans, an sit verus, voveret, censeretur se in quovis eventu obligare, & in simili de errore circumstantiarum substantialium diximus *n. 14.*

47 Hinc deducitur, qualiter sit intelligendum quod tradunt *Angelus verbo Votum 3. n. 23. Sylvest. & Azor. n. 42.* nempe ex duabus voti causis altera sola manente obligare votum. Et explicat *Sylvest.* quando eæ duæ causæ sunt impulsivæ. At dicendum est, hoc tantùm esse verum, quando causa voti, vel juramenti, quæ deficit non erat finalis, sive principalis, sive minùs principalis. Nam si erat utrovis modo finalis, ita ut dependenter ab utraque fuerit votum, uttavis earum deficiente non emittendum, ex cujusvis illarum defectu cessat votum. Secùs si ea, quæ deficit, erat solùm impulsiva, qua scilicet non extante adhuc votum emitteretur. Et fortè hoc est, quod *Angelus, & Sylvest.* limitantes id, quod dixerant, addunt, nempe, altera ex illis causis deficiente non corruere votum, quando altera earum existente intendebat vovens se obligare. Similiter quando duplex est finis adæquatus, atque ita utervis intenditur, ut altero deficiente votum emitteretur, non cessat voti obligatio utrovis eorum deficiente, vel si in utrovis erretur.

48 Secundò deducitur, quid dicendum in casu, quo mater pro filii salute impetranda vovet jejunium, & antea moritur filius. *Ludovicus Lopez. 1. p. instructorii c. 44. columna 1. versicul. Qui vovens virginitatem*, dicit eam teneri ad jejunium, nisi in mente conditionem aliquam tenuisset. Sed *Angelus verbo Votum 3. in principio*, dicit eam non teneri. Quia causa voti cessavit. At simili modo distinguendum est. Si talus illa filii obtinenda fuit finis intentus, sine principalis sive minùs principalis voti, ita ut ea desperata mater non voveret, minimè obligat: secùs si etiam tunc vovisset: & proinde fuit causa impulsiva. Et eodem modo de similibus votis distinguendum est. Ut si quis falsò existimans se à Deo recepisse aliquod magnum beneficium, vovisset aliquid in gratiarum actionem, vel falsò se legatarium, aut hæredem institutum credens, vovisset eleemosynam copiosam.

49 Tertiò deducitur, similiter esse irritum juramentum, vel votum, aut non obligare quo ad circumstantiam à voto separabilem, quando vel causa finalis illis erat falsa, vel jam cessavit: licèt tunc non cesset, nec deobliget votum quo ad substantiam principalem, si ea causa erat solùm impulsiva illius. Ut in exemplo, quod *num. 41.* adduximus, peregrinationis cum sacco ratione fallæ indulgentiæ, aut jam revocatæ. Quia eadem est ratio respectu illius circumstantiæ deficiente ejus fine, quæ est respectu substantiæ principalis, deficiente ejus causa finali.

50 Est tamen discrimen hoc, quando à principio causa finalis erat falsa: & quando erat vera, sed post cessavit. Nam quando à principio erat falsa, nempe, tempore quo votum deberet obligare, juxta dicta *num. 45.* votum tunc non valuit, ac proinde etsi veritas causæ post superveniat, non incipiet valere. Sicut quando causa dispensationis fuit falsa tempore Pontificiæ concessionis, non incipit esse, falsitate ea postea cessante, valida. At quando causa fuit vera, ac proinde votum validum, quamvis postea cesset, credo non extingui omnino votum, sed suspendi: & ideò redeunte fine redire obligationem. Ut in simili dispensatione, cujus finis cessavit, probavi *lib. octavo de matrimonio, disputatione trigesima, num. decimo septimo*. Ut si quis vouit se non transituram aliquà, ductus quòd ibi habitet mulier, cum qua peccare solet: ea mutante domicilium, potest illac transire. At si postea illic habitet, tenebitur ad votum. Quod deficiente fine non extinctum, sed dispensatum erat. Sicut *numero vigesimoquarto*, probauimus votum semel validum non omnino extingui materiæ mutatione, de bona, possibili, in malam impossibilem, aut indifferentem: sed quando mutatio est perpetua: at quando est temporalis, suspenditur obligatio, dum ea durat. Sed in contrarium hujus facit quod docet *Molina tomo 1. de justitia disp. 272. columna 4. notabili 2.* ubi ait non esse in uniuersum verum, ut qui post votum eleemosynæ largiendæ in paupertatem incidit, tenea-

teneatur postea ditior factus illam largiri ; sed prudentis arbitrio id judicandum. Nam, inquit, si quis dum dives esset, ex libertate promisit centum alicui : quia status, & abundantia bonorum inter alia ad id invitarunt, & antequam esset in mora, in magnam devenit paupertatem, omnino manet liber. Nec si postea casu aliquo, aut sua industria ad pinguem deveniat fortunam, tenetur implere priorem promissionem. Quia non censetur is velle se obligare, nisi non variato statu, in quo tempore promissionis erat. Et quamvis ea limitatio, dum promittens non fuit in mora, locum habeat in promissione humana, in qua ipse loquitur. Quia obligat ex justitia ad damna, & interesse, ubi promittens est in mora, ut diximus *n.* 28. quare id dicendum est in voto in favorem hominis facto, & illi intimato, ab eoque acceptato, aut si juramentum eidem præstitum sit, ut diximus *eodem num.* 28. At cum contrarium dixerimus *num.* 27. in voto, vel juramento soli Deo factis, videtur ea limitatio in illis non apponenda. Et aliud exemplum ego adhibeo. Si quis promittat, vel juret soli Deo, se daturum Petro pauperi mille aureos, motus speciali ejus indigentia, & affectu ei subveniendi: & antequam det, sive fuerit in mora, sive non, magnam Petrus divitiarum copiam obtinuit; videtur vovens hic, aut jurans excusatus omnino à voti, vel juramenti vinculo, etsi Petrus postea in priorem paupertatem deveniat. Quod utrumque exemplum approbo. Et ideò moderaret dicta hac regula tradita. Si ita cesset finis, ut quasi diversum statum constituat prorsus in promittente, vel in eo, cui promittitur, cessat omnino obligatio voti, vel juramenti, ita ut non revivíscat rebus ad pristinum statum restitutis. Secùs ubi non quasi novus statutus constituitur, sed est mutatio quædam accidentaria passimque variabilis. Ut in exemplo mulieris mutantis domicilium proximè adducto.

51 Quamvis autem defectus causæ impulsivæ non irritet votum, præstat faciliorem dispensandi causam. Quia etsi votum non desinat ejus defectu esse voluntarium : ut non est ita voluntarium, ac illa causa existente. Et ita colligitur ex *c. Magna, de voto, in fine*. Et tradunt *Glossa ibi, verb. Ut venires, Anton. num.* 15. *Abb. num.* 14. *& c. Ex parte, el* 2. *nu.* 8. *de conversf. conjug. Tiraquell. tractatu cessante causa, limitatione* 1. *n.* 26.

52 Tandem si dubitetur de mente voventis, aut jurantis, an causam quæ cessarit, vel in qua est error, spectarit ac finalem, sine qua votum, vel juramentum non emitteret : id judicandum est ex voventis affectu, & magno desiderio obtinendæ rei moventis ad vovendum, & ex effectu ad rem promissam seclusa ea causa. Et ita credo frequentissimè causas has, quas vovens spectat, esse finales, saltem minùs principales : & ideò non obligare votum. Quando verò rationes utriusque partis probabiles existunt, ita ut opinionem generent, licebit alterutri parti, etsi minùs probabili, adhærere. Ut in simili dixi *c. præcedenti num.* 16. Si verò res æquè anceps consideratis omnibus circumstantiis maneat : tunc aliqui censent votum non obligare. Quòd in eo dubio melior sit conditio voluntatis libertatem possidentis. Item quia cum voti causam subsistere desideretur ad voti valorem, perinde est dubitare, an causa finalis voti subsistat, ac dubitare an votum emissum sit. In quo casu votum non obligare diximus *cap. præcedenti num.* 16. Sed alii, quibus accedo, dicunt præsumi causam impulsivam eam, quæ cessavit, aut quæ falsa fuit : & sic votum obligare. Ita sentiunt *Angelus, Sylvest. & Azor.* ubi eos retuli *numer.* 22. Atque idem dicendum est, si dubitetur, an causa cessaverit. Ducor, quia cum constet de verbis voti obligationem inducentibus, sive ore, sive sola mente prolatis, jam non stat possessio pro voluntatis libertate, sed pro illo vinculo dum vovens non se exonerat ostendendo verè causam finalem cessasse, aut fuisse falsam. Item, quia, cum votum quando dubitatur, an causa cessarit, cœperit obligare, est jam pro ipso possessio. Item quia in hoc dubio præsumptio fori externi stat pro voti verbis, tamquam certis, & in favorem voti judicaretur translato onere contrarium probandi in voventem. Ergo dum aliud in foro conscientiæ non constat, standum est quoque in foro conscientiæ hac præsumptione : juxta regulam à nobis latè probatam in *lib.* 1. *huius summæ cap.* 10. *num.* 18. Item quia in dubio jus præsumit pro actus valore, *cap. Abbate, de verb. signif. l. Quoties ff. de rebus dubiis*. Tandem, quia idem in simili probavimus *l.* 8. *de matrimon. disputatione* 21. *num.* 26. *&* 25. *& disputat.* 30. *numer.* 9. quando dubitatur an causa dispensationis, quæ cessavit, aut quæ falsò allegata fuit, sit finalis, aut cessarit : ubi probavimus præsumi impulsivam, nec cessasse finalem, ut valeat dispensatio. Nec est simile, quando prorsus dubitatur, an votum emissum sit. Quippe tunc nulla est pro voto possessio, sed tota pro voluntatis libertate.

CAPUT III.

Qualiter metus auferat voluntarium ad votum requisitum: ac proinde illud irritum reddat?

SUMMARIUM.

Quotuplex sit metus ? Et an cadens in virum constantem dicatur respectivè ? n. 1.
Quæ sint mala hunc metum inferentia ? Et an timeri debeant in propria persona ? n. 2.
Metus potest esse ab intrinseco, vel ab extrinseco, & incussus justè, vel injustè ad extorquendum votum, vel ob aliam causam, num. 3.
Valet votum quando metus non incutitur ad extorquendum illud, num. 4.
An quando metum justè, vel injustè patienti offertur libertas, si professionem emittat, vel ipse eam elegit, ut incolumis evadat, valeat votum? n. 5.
An valeat metu gravi incusso ad extorquendum votum, quando vovens id incuti ignorabat? n. 6.
Quot quæstiones disputanda sint? n. 7.
An metus gravis injustè incussus ad votum extorquendum, illud irritet jure naturæ? Refertur quædam sententia, n. 8.
Explicatur sententia Auctoris, n. 9.
An inter infideles valeat? n. 10.
Post num. 10. *invenies alia summaria.*

1 PRæmittendum est, metum alium esse cadentem in virum constantem, alium in virum inconstantem. Prior appellatur etiam justus, probabilis, & gravis. Posterior autem levis, improbabilis, & vanus. Ut probavi *lib.* 4. *de matrim. disput.* 1. *num.* 9. Prior autem timor quinque conditiones desiderat. Prima est, ut malum, quod timetur, sit grave. Secunda est, ut æstimatio illius mali sit prudens, & fortis: idest, ut timens non leviter, & vanè cedat malum illud sibi imminere, sed probabiliter, & rationabiliter. Tertia est, ut metum incutiens sit potens minas exequi. Quarta, ut sit solitus exequi. Ultima, ne timens possit facile occurrere illi malo, quod timetur. Quas omnes conditiones latissimè probavi, & explicui, multa ex illis inferens, & alia ad hoc pertinentia explicans, *eo lib.* 4. *tota disput.* 1. *&* 2. Atque *tota* 3. *disputatione* probavi metum cadendentem in virum constantem dici respectivè : & proinde metus, qui respectu unius est cadens in virum constantem, non est talis respectu alterius, qui fortior est, aut junior, aut non ita pusillanimis. Et minor metus requiritur in fœmina, quàm in viro.

4 Quæ autem sint mala, quorum timor in virum constantem cadit : an ea necessario in propria persona timeri debeant, dixi latissimè *l.* 4. *de matrim. à disp.* 4. *usq; ad* 12.

3 Secundo præmittendum est, duplicem esse metum. Quidam est incussus ab intrinseco, vel à causis naturalibus, ut à morbo, tempestate, feris animalibus. Dicitur enim ab intrinseco: quia non incutitur per actum liberum, sed per modum naturæ. Ut rectè animadvertit *Sotus* 4. *d.* 29. *q.* 1. *art.* 3. *vers. Hinc primò colligitur*. Alter verò est ab extrinseco, idest, à causa libera. Ut dum voventi comminatur aliquis mortem, aut illi malum aliquod grave inferre vult. Rursus posterior hic metus, est duplex, quidam incussus gratia voti extorquendi. Alter verò ob aliam causam. Et priori hoc modo incussus, potest incuti justè, ut dum quis comminatur malum grave, quod justè inferre potest: ut justam delicti accusationem. Vel potest incuti injustè : ut si id malum injustè inferre velit.

4 Tertiò præmittendum est, id esse apud omnes certissimum, nempe, quoties metus non est incussus gratia extorquendi voti, sive proveniat à causa naturali, sive libera, quantumvis gravissimus sit, non irritat votum. Quod constat ex *c. Sicut nobis, de regular.* ubi votum ægri timore mortis judicatur validum. Et ratio est, quia tunc à nemine impellitur vovens ad votum emittendum : sed sponte sua id vovendi medium eligit, quò ex eo periculo incolumis evadat.

5 Quare ad dijudicandum, num votum irritum sit ratione metus, summopere spectandum est, an voto extorquendo incussus sit metus : an potiùs metum gravem, sive justè, sive injustè patienti offeratur votum, sive ipse sua sponte id eligat tamquam medium ad evadendum id periculum. Quippe cum in hoc casu minimè incutiatur metus ad votum extorquendum, sed metus incussus auferatur oblata illa conditione, non impediretur voti valor eo metu. Ut si damnatus etiam injustè capitis pœna, vel obsessus ab hostibus, eligat sua sponte religionis professionem, si vita ei condonetur, vel obsessio solvatur : vel alius etiam injustitiam illam inferens, libertatem ei offerat ea conditione acceptata, quando re vera is metus ob aliam causam incussus est, valebit professio, & quodvis aliud votum. Atque hinc defenditur consuetudo, ut vir de adulterio uxorem accusans mortis pœnam ei remittat, dummodo in religione professionem emittat. Quæ omnia in simili de matrimonio sic inito probavi multis adductis contra alios, *lib.* 4. *de matrim. disput.* 12. *à num.* 12. *usque ad* 15.

6 Imò si animus incutientis metum sit votum extor-

torquere, eo tamen animo non significato voventi, nec per ipsum intellecto, is aliquid voveat ad incolumitatem obtinendam, obligabitur voto. Quia cum pravæ illius intentionis ignarus sit, non coactus est eo metu ad votum emittendum, sed sua sponte illud tamquam incolumitatis medium elegit, ac proinde idem prorsus est, ac si quocumque alio fine metus incuteretur. Sic *Valentia* 2. 2. *disputat.* 6. *quæst.* 6. *puncto* 4. *columna ultima, vers. Neque vero eadem est ratio.*

7 His ergo præmissis, quadruplex est quæstio disputanda. Prima est. An metus gravis injustè incussus gratia extorquendi voti, illud irritet jure naturæ? Secunda, an jure ecclesiastico? Tertia, an irritet, si justè incussus sit? Ultima an metus levis irritet.

8 Quæstio prima. An metus gravis, seu cadens in virum constantem, incussus injustè gratia extorquendi voti illud jure divino naturali irritet ? Duplex est sententia. Prima ait jure divino naturali irritare. Ducitur primo, quia *c.* 1. *de his quæ vi*, non irritatur professio eo metu extorta, sed tamquam irrita declaratur : & nullus textus eam irritans invenitur. Ergo supponit eam esse jure divino naturali irritam. Secundò, quia spontaneum militem eligit Deus, nec promissionem coactam acceptat. Cum enim votum sit religionis actus, ad quam solùm spontaneum obsequium spectat, petit necessariò materiam sponte oblatam. Tandem quia nil violentum est perpetuum. At votum ex se habet ut in vinculum perpetuum sit. Hanc sententiam quæ satis probabilis est, tenent *Sotus lib.* 7. *de just. quæst.* 2. *art.* 1. *ad* 2. *paulò post principium: & lib.* 8. *quæst.* 1. *art.* 7. *col.* 17. *vers. Seriosius tamen*, & aliqui Neoterici. Et in quodam simili nempe, in matrimonio tali metu inito, tenent multi alii, quos retuli *lib.* 4. *de matrimon. disput.* 14. *numer.* 1. ubi alias quoque rationes attuli, quæ hanc partem in professione solemni probant.

9 Secunda sententia quam probabiliorem credo, affirmat non irritari jure divino naturali, sed solo ecclesiastico. Ratio est, quia stando in jure naturæ ea deliberatio exigitur, & sufficit ad voti valorem, quæ ad culpam mortalem, ut diximus *c.* 1. *nu.* 2. At hæc inveniitur cum tali metu. Siquis enim eo coactus fornicaretur, peccaret mortaliter. Secundò, quia juramentum tali metu extortum obligat prorsus, *c. Si verò* 8. *de jurejurand.* Malo. Cum tamen ita involuntarium sit, atque vinculum perpetuum, ac votum. Nec ulla apta discriminis ratio inveniri potest inter utrumque, præterquam quod jus Ecclesiasticum irritet votum, non autem juramentum. Tandem, quia metus mortis ex causa naturali proveniens, metus etiam levis, sæpè magis auferunt voluntarium. Cum tamen neuter votum irritet. Tota ergo differentiæ ratio ad jus Ecclesiasticum in uno casu irritans, & non in alio, referenda est. Quas rationes, alias quoque partem hanc probantes, latiùs attuli in quodam simili, nempe, ad probandum matrimonium tali metu initum non irritari jure naturæ, *lib.* 4. *de matrim. disp.* 14. *nu.* 2. Nec obstant rationes in contrarium adductæ. Nam primæ satisfiet *nu.* 12. Ad secundam negatur, id opus non esse Deo acceptum, & actum religionis. Cum sit simpliciter voluntarium, & tantùm secundùm quid involuntarium, habet utrumque. Ad tertiam dic, quòd est simpliciter violentum, non posse esse perpetuum: Secùs de violento secundùm quid quale est metu extortum. Et ideò hanc partem sustinent *Aragon.* 2. 2. *qu.* 88. *art.* 3. *fol.* 989. *Azor. lib.* 11. *institutionum moralium c.* 15. *qu.* 6. *Vega* 2. *tomo summæ cap.* 129. *casu* 17. Et in matrimonio sic extorto tenent multi alii, quos retuli *dicta disp.* 14. *n.* 2.

30 Hinc deducitur, votum eo metu emissum ab infidelibus esse validum. Quia solo jure Ecclesiastico irritatur, cui illi non subjiciuntur.

SUMMARIUM.

An metus gravis injustè incussus ad votum extorquendum, irritet illud jure Ecclesiastico ? Refertur quædam sententia, num. 11.
Explicatur sententia Auctoris, n. 12.
Quid, si vovens habuit animum se obligandi: aut cessante metus causa ratificavit? n. 13.
Quid, si metus incuteretur ad promittendam religionem in genere, aut unam ex pluribus? n. 14.
Quid si votum illud emitteretur in præsentia consanguineorum, aut amicorum? n. 15.
Quid, si votum illud juramento confirmaretur? n. 16.
An constitutio procuratoris ad vovendum eo metu extorta valeat? num. 17.
An initiatus metu gravi ordine sacro, teneatur voto continentiæ? num. 18.
An metus gravis excuset à voti transgressione? n. 19.
Post n. 19. *invenies alia summaria.*

11 QUæstio secunda. An saltem jure Ecclesiastico metus gravis injustè incussus gratia voti extorquendi, illud irritet ? Quidam negant, sed irritandum dicunt : sicut juramentum eo metu extortum est validum relaxandum tamen per Ecclesiam. Ducuntur, quia tale votum est voluntarium. Ita *Cardinalis cap.* 2. *quæst.* 1. *casu* 4. *de his quæ vi*. Idem tenet *Sylvest.* intelligens quando vovens habuit animum se obligandi, *verb. Metus quæst.* 8. *in fine*, & *verb. Votum* 2. *quæst.* 12. Alii autem dicunt professionem ita emissam esse irritam, secùs autem de votis simplicibus. Ducuntur, quia unicus textus votum sic emissum irritans reperitur : qui est *cap.* 1. *de his quæ vi*. At de sola professione loquitur. Nec est eadem ratio de utroque. Quòd illi semel validè emissæ nequit per Ecclesiam nisi in casu rarissimo dispensando subveniri ; huic autem facillimo negotio potest. Sic tenuit *Frater Penna*, ut refert *Ludovicus Lopez numer. sequen.* allegandus. Idem tenent alii Neoterici Doctissimi.

12 Sed verius est ; irritari eo metu omne votum, sive simplex, sive solemne. Ducor, quia *c.* 1. *de his quæ vi*, declaratur irrita professio fœminæ tali metu emissa: & quamvis videatur referri in eo textu professio tamquam ficta, & ex hac parte manifestior esset obligationis defectus. At definitip illius textus non fictioni, sed metui innititur : cum decidat fœminam illam minimè ad religionem cogendam, si metus probetur. Et quamvis *ibi* non fermo sit de voto simplici, atque de illo dispar sit ratio : at communi ferè omnium Doctorum placito eadem decisio extenditur ad votum simplex, utpote quod est similiter opus consilii, & suam perpetuitatem habet. Præterea quia, ut in simili dixi *l.* 4. *de matrim. disp.* 14. *n.* 4. *in solutione ad primum*, quamvis ille textus non habeat formam statuti irritantis professionem, sed illam ex eo metu irritari supponat: nec loquatur de voto simplici, nec constet ubi utriusque, alteriusve irritatio scripta sit, habetur tamen traditione omnium Doctorum ferè, & forsan olim scripta fuit ; ac scriptura periit. Ita hanc partem sustinent *Glossa finalis ad finem c.* 2. *de his quæ vi, Abbas ibi n.* 11. *& c. Sicut nobis n.* 5. *de regul. Major in* 4. *d.* 38. *q.* 4. *column. penultima, versic. His rationibus, Rosella verb. Votum* 1. *n.* 4. *& verb. Metus, n.* 3. *& ibi Angelus n.* 8. *Tabiena verb. votum* 1. *q.* 1. *Fortunius de ultimo fine, illatione* 1. *n.* 418. *Rota in nevissimis* 4. *tom. decisione* 20. *n.* 15. *Sotus l.* 7. *de just. q.* 2. *a.* 1. *in solutione ad* 1. *in fine, & in solutione ad* 2. *in initio, Navarr. summa c.* 12. *n.* 52. *& commentario* 2. *de reg. n.* 13. *vers. Addo ultimò, Palacios* 4. *d.* 38. *disp.* 1. *column.* 6. *versic. Videtur igitur, Metina l.* 1. *summa c.* 14. §. 6. *Aragon.* 2. 2. *q.* 88. *art.* 3. *fol.* 988. *Angeles floribus* 2. *p. q. unica de voto, art.* 3. *diffic.* 18. *Toledo l.* 3. *summa c.* 17. *n.* 5. *Emmanuel Sà summa, verb. Votum n.* 8. *& verb. metus n.* 2. *Valentia* 2. 2. *disp.* 6. *q.* 6. *puncto* 4. *column. ultima, Manuel* 2. *t. summa c.* 93. *n.* 1. *Lud. Lop.* 1. *p. instruct. c.* 45. *column.* 4. *Azor. l.* 11. *inst. moral. c.* 13. *q.* 7. *Philiarcus de offic. sacerdot. t.* 1. *p.* 2. *l.* 3. *c.* 18. *versic. Decimò peccat.*

13 Hæc autem sententia est vera, etsi vovens verum se eo voto obligandi animum habeat. Quippe Ecclesia eum consensum irritat, & tamquam insufficientem reddit, ut ex eo obligatio voti oriatur. Sicut consensum clandestinum irritat, ne ex eo obligatio matrimonii oriatur. Alias nil peculiare concederetur metui : nam etiam eo deficiente, votum absque animo se obligandi est irritum. Et ita docent *Sotus, Aragon., Manuel n.* 4. *Philiarcus n. praced.* allegati, *Navarr. c. statuimus, n.* 75. 19. *q.* 3. Atque in simili de matrimonio metu extorto probavi *l.* 4. *de matrimon. disput.* 12. *nu.* 18. contra alios *ibi n.* 17. relatos. Si tamen cessante metus causa, & sciens prius votum irritum, illud ratum haberet, inciperet, ex tunc valere. Ut in simili probavi de matrimonio coacto, *lib.* 3. *de matrimonio, disp.* 18. *à n.* 4. ubi *nu.* 7. explicui quando dicatur metus causa cessare, ut consensus dicatur spontaneus, & deinceps sufficiens ad obligationem inducendam.

14 Posset aliquis temperare hanc sententiam, quando metus incuteretur ad profitendum in religione determinata, secùs si ad profitendum in religione indeterminata in genere, vel in una ex certis non determinandò aliquam : tunc enim diceret valere professionem. Sic enim limitant in matrimonio metu extorto aliqui, quos retuli *l.* 4. *de matrimon. disp.* 12. *n.* 20. Sed *ibi* eam limitationem tamquam fundamento carentem reprobavi.

15 Secundò alii possent limitare, nisi votum illud, sive simplex, sive solemne, emissum sit in præsentia consanguineorum, & amicorum : quasi tunc cesset metus præsumptio. Ita enim limitant in matrimonio coacto aliqui, quos retuli *eodem l.* 4. *de disp.* 12. *n.* 21. ubi eam quoque limitationem rejeci, dicens eam præsentiam solùm transferre onus probandi graviores fuisse metus causas, ne metus præsumptio cesset. At in foro conscientiæ, in quo veritate statur, votum illud non valet, si re vera metu gravi extortum est.

16 Tertiò posset limitari, nisi votum illud juramento confirmetur. Sed de hoc diximus *lib. praced. c.* 11. *n.* 12.

17 Nec solùm illud votum metu extortum est irritum, sed etiam constitutio procuratoris ad vovendum nomine alicujus, simili metu extorta est irrita. Quia postea votum illud emittitur per procuratorem nomine constituentis, virtute prioris consensus ad ipsius constitutionem præstiti; & cum hic sit metu extortus, perinde est, ac si votum id metu extorqueretur. Et ita de constitutione procuratoris ad matrimonium metu extorta probavi multis citatis *lib.* 4. *de matrimon. disp.* 12. *n.* 22.

18 Ex dictis deducitur, initiatum ordine sacro metu viri constantis, non teneri voto castitatis ordinis adnexo: atqa ita posse sine ulla dispensatione ad nuptias transire : si nolit in ordinis sacri usu permanere. At si cessante metus, vel semel eo usus sit, nequit resilire. Quia est ordinis assumpti rati-

satisfactio: ac propterea tenetur more aliorum clericorum continere. Ut hæc probavi *lib. 7. de matrim. disp.* 29. *à num.* 5. *usque ad* 10. reprobata contraria sententia, quam *ibi num.* 4. retuli.

19 Tandem id monuerim, metum sufficientem ad votum irritandum, excusare quoque à voti validi transgressione, si incutiatur alicui, ut votum transgrediatur, non in fidei, aut religionis odium, & contemptum. Quia votum non obligat cum tanto detrimento, atque obligat instar legis quam tunc non obligare probavimus *lib. 1. hujus summæ c.* 18. *n.* 4. 5. & 6. Et tenent *Sotus l.* 7. *de justitia, qu.* 2. *art.* 2. *ad* 2. *versic. Ex quo fit, Angles, & Valentia* citati *num.* 12. *Emmanuel Sà summa verbo, Votum numero* 23. *Manuel.* 2. *tomo summæ c.* 93. *nu.* 5. Quòd si esset votum de præcepto aliquo juris naturalis servando, quod obligat cum eo mortis periculo, ut de non fornicando, adhuc existimo fornicantem peccare solùm contra id præceptum, non autem contra votum. Quia cum votum sit lex, quam homo sibi imponit, obligat instar legis Ecclesiasticæ, quæ ab homine quoque imponitur. At hæc numquam obligat cum tanto detrimento, adeo ut quando metus incutitur in odium fidei ad legem Ecclesiasticam transgrediendam, etsi teneatur quis eam non transgredi, non tamen tenetur ex vi legis illius Ecclesiasticæ non obligantis cum tanto detrimento, sed ex vi divinæ naturalis obligantis ad tuendam fidem, & religionem cum mortis periculo. Ut *eodem c.* 18. diximus. Atque ita prædicti Doctores indistinctè dixere liberari culpa voti transgressionem metu viri constantis.

SUMMARIUM.

An metus justè incussus ad votum extorquendum, id irritet? Refertur quædam sententia, n. 20.
Proponitur sententia Auctoris, n. 21.
Post num. 21. *invenies summaria, quæ desiderantur.*

20 QUæstio tertia. An metus viri constantis justè illatus ad extorquendum votum, illud irritet? Duplex est sententia. Prior ait adhuc non valere votum. Quia minans accusationem, aliud malum quæ justè minari potest; quamvis absque injuria minetur ad justitiæ punitivæ finem: injustè tamen minatur ad votum extorquendum: quod summam libertatem petit. Nec enim justè potest petì votum, aut religionis professio cum hac conditione. Cum sit enim res spiritualis, videtur simonia. Insuper, quia hujusmodi metus non minùs involuntarium reddit votum, quàm injustè incussus. At solus voluntatis defectus reddit irritum votum metu extortum. Hanc tenent *Ludovicus Lopez* 1. *part. instructorii c.* 45. *column.* 3. *versic. Sed ibi addit, Manuel.* 2. *tomo summæ c.* 33. *n.* 3. & 5. *Vega* 2. *to. summæ c.* 129. *casu* 17. Et in alio simili, nempe, in matrimonio simili metu extorto, tradunt alii, quos retuli *lib.* 4. *de matrim. disp.* 13. *nu.* 1. & 2. ubi retuli limitantes, quando est lex compellens in eo eventu ad votum emittendum. Et potest probari aliis etiam rationibus, quas *ibi* latè proposui. Et hæc sententia est satis probabilis.

21 Posterior sententia mihi probabilior ait, id votum esse validum, sive simplex, sive solemne sit. Ducor, quia quoties metus damni delicto debiti incutitur alicui, tunc potiùs censetur metus ille oriri ex lege, & natura delicti, & proindè ab intrinseco, quàm ab extrinseco incuti: eò quòd intra illam sit justa timendi causa, radixque timoris. Quare id malum minans non censetur metum inferre, sed potiùs metum jam ex delicto conceptum auferre, offerendo immutationem, si voveat. In quo eventu diximus *n.* 5. votum valere. Præterea, quia nulla irrogatur injuria, nec aliqua simoniæ labes admittitur offerendo delicti veniam, dummodo delinquens religionem voveat. Ut latissimè probavi *l.* 1. *de matrim. disp.* 39. *n.* 4. Et ratione injuriæ, qua voluntas metu injusto cogitur, irritatur votum illo extortum: quæ in metu justè illato deficit. Et hinc constat solutio ad contraria. Hanc etiam partem multos referens in simili, nempe in matrimonio eodem metu extorto, probavi *l.* 1. *de matrim. disp.* 13. *n.* 3. Et in propriis voti terminis docent *Medina l.* 1. *summæ c.* 14. §. 6. *fol.* 86. *Emmanuel Sà in summa, verbo Votum n.* 8. Et videtur tenere *Sotus l.* 7. *de justitia q.* 2. *n.* 1. *ad* 1. *paulò ante finem*, ubi ait requiri metum incuti ab homine per injuriam, ut votum irritet. In quantum autem *Medina* exemplum hujus adhibet, ut si vir comminetur mortem uxori in adulterio deprehensæ, nisi professionem emittat, intelligendus est, quando mortem illam auctoritate judicis inferendam minatur. Quippe alias injustus est timor.

SUMMARIUM.

Metus, qui est levis respectu viri fortioris, si sit cadens in virum constantem respectu ejus, cui incutitur, irritat votum, num. 22.
An metus levis aliquando irritet? Refertur quædam sententia, num. 23.
Explicatur sententia Auctoris, n. 24.
An metus legis faciliorem dispensandi causam præstet? n. 25.
An metus reverentialis irritet professionem, & votum? n. 26.
An quando est dubium, an metus sit gravis, vel an ratione metus adfuerit animus se obligandi, obliget votum? n. 27.

22 QUæstio ultima. An metus non cadens in virum constantem, quando est causa, sine qua votum non emitteretur, illud irritet? Et non quidem disputamus, quando hic timor respectu fragilitatis personæ, cui incutitur, censetur cadens in virum constantem. Tunc enim irritat votum: utpote qui juxta dicta *nu.* 1. est verè cadens in virum constantem.

23 At difficultas est, quando is metus respectu personæ, cui incutitur, censetur levis, & viri inconstantis, at est causa, sine qua non votum emitteretur. Quidam dicunt id votum, sive simplex, sive solemne professionis, sive ordinis sacri, esse irritum in foro conscientiæ, nullamque obligationem parere; secùs autem in foro externo. Ducuntur, quòd jus constituens discrimen inter utrumque metum, innitatur præsumptioni, qua præsumit metum gravem esse causam, sine qua actus non fieret; secùs autem levi. At jus præsumptioni innitens non habet locum in foro conscientiæ, quandò in eò contraria veritas constat. Præterea, quia metus gravis ideò irritat, quòd plenam consensus libertatem auferat. Ergo metus quoque levis irritabit, quando camdem aufert, existens quoque causa, ut actus fiat. Quæ etiam pars suaderi potest aliis rationibus, quas attuli *lib.* 4. *de matrimon. disput.* 17. *num.* 2. ad probandum matrimonium simili metu irritari. Et sicut *ibi nu.* 4. dixi hanc sententiam esse probabilem in matrimonio idque potissimùm, si sustineamus jure naturali irritari matrimonium metu extortum; ita in hoc casu voti idem prorsus dicendum est. Et pro hac parte sunt Doctores omnes, quos *ea disput.* 17. *n.* 2. retuli id tenentes in matrimonio. Nam eadem libertas in matrimonio, & in voto exigitur: & eodem metu utrumque irritatur. Et hanc partem tenet *Navarr. summa Latina c.* 22. *n.* 51. *versic. Septimam*, ubi generaliter tradit ad reddendum actum inefficacem coram Deo, sufficere quemlibet timorem minorem justo, qui est causa sine qua non actus. Et in propriis terminis voti solemnis professionis, & ordinis sacri, tenet *Navarr.* alios allegans *l.* 1. *consil. in priori edit. in tit. De his quæ vi conf.* 1. *n.* 9. *conf.* 3. *n.* 4. & *conf.* 5. *n.* 2. & *lib.* 3. *tit. de regul. conf.* 84. *n.* 4. *in posteriori l.* 1. *tit. de his quæ vi conf.* 3. *n.* 9. *conf.* 5. *n.* 4. *conf.* 9. *n.* 2. & *l.* 3. *tit. de converf. conjug. conf.* 3. *n.* 4. Et loquentes de professione tenent idem *Navarr. commentario* 2. *de reg. n. ultimo, versic. Addo* 13. *Manuel.* 2. *tomo summæ c.* 8. *n.* 9.

24 At multò probabilius est, non irritari quodcumque votum, eo metu levi. Quia metus non irritat votum, eò quòd quomodocumque voluntarium auferat, sed quòd prudenter, & rationabiliter aufert, eligendo rem tam gravem, ac est votum, & professio, ratione illius timoris vitandi. Quod non contingit, quando metus est levis, sed imprudenter, & irrationabiliter agitur. Nec verum est jura in hoc casu inniti præsumptioni. Et ideò pro hac parte sunt Doctores, quos *lib.* 4. *de matrimon. disput.* 17. *nu.* 3. retuli hoc tenentes in matrimonio. Et in propriis voti terminis docent *Sotus l.* 7. *de justitia qu.* 2. *art.* 1. *ad* 2. *in fine, Ludovicus Lopez* 1. *p. instruct. c.* 45. *column.* 3. *versic. Non impedit, Valentia* 2. 2. *disput.* 6. *q.* 6. *punctio* 4. *col. ultima, Philiarcus de offic. sacerd. tom.* 1. *p.* 2. *lib.* 3. *c.* 18. *versis.* 10. *Azor. lib.* 11. *institut. moral. c.* 15. *q.* 7. *Emmanuel Sà summa verbo Metus n.* 3.

25 At quamvis metus hic non irritet, præstat faciliorem dispensandi causam. Sicut errore circa causam impulsivam diximus *c. præced. n.* 51. Quia similiter hic minuit voluntarium. Item quia) ut probavimus *l.* 4. *de matrim. disput.* 20. *n.* 9.) hic est sufficiens, ut juramentum homini præstitum relaxari valeat ab Episcopo.

26 Ex dictis deducitur, metu reverentiali tunc tantùm irritari professionem, & quodvis votum, quando cadit in virum constantem: nimirum, quando ultra reverentiam adsunt minæ: & probabilis timor alicujus mali gravis. Quippe in hoc solo casu eum cadere in virum constantem probavi latè *ll.* 4. *de matrim. disp.* 6. *à n.* 1. *usque ad* 35. ubi *n.* 17. & 18. probavi illo irritari professionem, quando solùm cadit in virum constantem. Et quamvis de professione tacita difficultas peculiaris sit, an irritetur hoc metu, quando non est gravis, & *ibi* tres sententias retuli, *à n.* 35. at tamen *n.* 39. probavi non irritari.

27 Tandem quando est dubium, an metus sit gravis, necne ad professionem, vel votum simplex irritanda, præsumendum est in dubio in valoris voti favorem, cum metum esse levem, ac proinde non irritare. Quòd cum constet de voto, & excusatio dubia sit, stat possessio pro voto. Ut in simili probavi *c. præcedenti n. ultimo*, ubi alias rationes attuli, & solvi contrarias. Quòd idem credo, etsi dubium sit de animo se obligandi ratione metus, & de ipsius quoque metus qualitate. Quia etiam quando constat metum fuisse viri constantis, & dubium est, an quis habuerit animum se obligandi, defendimus *lib.* 1. *de matrim. disp.* 9. *n.* 13. præsumi animum se obligandi, ut mendacii præsumptio vitetur. Et retulimus inter alios hoc tenentes, *Covaruviam* dicentem esse manifestum errorem sententiam aliquorum, quos *ibi n.* 12. retulimus, qui dicunt tunc non præsumi animum se obligandi.

CA-

CAPUT IV.

Qualiter incurrant excommunicationem cogentes ad monasterii ingressum, illumve absque justa causa impedientes?

SUMMARIUM.

Refertur decretum Tridentini *excommunicans hos, nu.* 1.
An comprehendantur omnes personæ, etiam Rex, & Imperator, num. 2.
An includantur cogentes, vel impedientes viros? num. 3.
Quid de cogentibus metu levi? num. 4.
Quid de cogentibus metu justè illato: vel docentibus evadendi viam? num. 5.
Quid de inducentibus ad ingressum, promittendo aliqua: vel negando debita ex justitia? num. 6.
Quid de parentibus minantibus filia, fore ut eam non præferant in hæreditate, nisi religionem profiteatur? nu. 7.
Quid de extorquentibus ingressum precibus importunis, n. 8.
Quid de inducentibus dolosè ad ingressum, nu. 9.
Quid de impedientibus ingressum solis precibus? nu. 10.
Quid de impedientibus minando fœminæ, fore ut non præferant in hæreditate, vel alium lucrum denegent, aut disponentibus ne religionem ingrediens succedat in majoratu, aut bonorum meliorationes? nu. 11. *Ubi & quid si pater minetur filiis suam maledictionem: aut minetur monasterio?*
An incurrant cogentes fœminas, ut sint in monasterio, donec aetatis matrimonio aptæ sint? num. 12.
Quid de cogentibus ad solum religionis votum emittendum? numero 13.
Quid de impediente votum religionis emitti? num. 14.
Quid de impediente primum religionis ingressum? nu. 15.
Quid de impedientibus solum, ne tunc ingrediatur fœmina, aut ne tunc profiteatur? num. 16.
An incurrant dantes consilium, aut auxilium impedientibus professionem, aut impediri mandantes? num. 17.
Quid, si hæ prestent cogentibus ad ingressum: at effectus non est subsecutus, num. 18.
An ipsi cogentes, vel impedientes incurrant effectu non secuto? numero 19.
Qua ignorantia excuset ab hac excommunicatione interponentes præsentiam, vel consensum, vel auctoritatem ingressui violento? num. 20.
An incurrant, qui obiter actum illum violentum spectant: vel assistentes alia ex causa: vel dominum assistentem comitantes, vel assistentes, ut violentia testes sint? num. 21.

1 CAput hoc versatur circa intellectum *Trid. sess.* 25. *de regular. cap.* 18. ubi excommunicantur omnes personæ cujuscumque qualitatis, & conditionis fuerint, qui aliquam ex his quatuor actionibus fecerint. Prima est, quomodocumque cogere quamcumque fœminam, præterquam in casibus jure expressis, ad ingrediendum monasterium, vel ad suscipiendum habitum cujuscumque religionis: vel ad emittendam professionem. Secunda est, consilium, auxilium, vel favorem ad id dare. Tertia est, sciendo fœminam non sponte ingredi, aut habitum suscipere, aut professionem emittere: interponere quomodocumque illi actui præsentiam, vel consensum, vel auctoritatem. Ultima est, cujuscumque mulieris voluntatem vel accipiendi, aut voti emittendi, impedire quomodocumque sine justa causa. Quæ excommunicatio nulli reservatur. Quod decretum aliquot dubiis propositis enodandum est.

2 Primum dubium est. An hoc decretum comprehendat universas personas aliquam illarum actionum facientes? *Suarez* 5. *tomo in* 3. *p. disp.* 23. *sect.* 5. *num.* 8. ait universas comprehendere. Quia explicat id id decretum in eo comprehendi omnes, & singulas personas, quacumque dignitate fungentes. At verius existimo, non comprehendi Regem vel Imperatorem, benè tamen cæteras personas. Ducor, quòd *idem Tridentinum sess.* 24. *de matrim. c.* 9. eisdem prorsus verbis excommunicet cogentes ad matrimonium. At *lib.* 4. *de matr. disp.* 22. *in fine*, defendimus cum aliis non comprehendi Regem, vel Imperatorem, sed indigere expressa mentione, ut comprehendantur.

3 Secundum dubium est, an comprehendantur, qui cogunt ad religionis ingressum, vel ab eo impediunt viros? Ratio dubitandi est. Quia etsi id decretum de solis cogentibus, aut impedientibus fœminas loquatur; at ejus ratio finalis, quæ est libertati ingressus consulere, æquè procedit in viris coactis, aut impeditis. Decretum autem ex ratione finali, quæ ejus anima est, extendi, aut restringi debet. Ut multis citatis probat *Tiraquell. tractatu Cessante causa, in principio, à num.* 138. Præterea, quia videtur solarum fœminarum mentio facta, causa frequentioris usus, eò quòd illæ frequentiùs cogantur, aut impediantur. At ubi lex gratia frequentioris usus aliquid decernit, non excludit casum minùs frequentem. Ut probavi *lib.* 3. *de matrimonio disp.* 20. *num.* 3. Tandem quia his rationibus ducti Auctores non pœnitendi, pœnas statutas viro rapienti fœminam, extendunt ad fœminam viri raptricem. Quos retuli *libro septimo de matrimonio disputatione* 12. *num.* 24. Et pœnam uxoricidio statutam extendunt ad viricidium alii, quos retuli *eodem libro* 7. *disp.* 16. *num.* 5. Et ita tenet *Palacios* 4. *d.* 38. *disp.* 1. *folio* 847. *versic. Rursus anathematizat*. Verùm existimo nequaquam hos comprehendi. Ducor, quòd *idem Tridentinum sess.* 24. *de matrimon. c.* 9. volens comprehendere, qui cogunt, sive viros, sive mulieres ad matrimonium, id expressit. Cum ergo in præsenti decreto exprimat solos cogentes, aut impedientes fœminas, non extenditur ad eos, qui cogunt, aut impediunt viros. Præterea quia non militat eadem ratio. Nam cum frequentissimum sit, fœminam sic cogi, aut impediri: raro autem id accidat respectu virorum: & legis sit, frequenter contingentibus prospicere, *l. Nam ad ea ff. de legibus*, consultò Tridentinum solum frequentem coactionis fœminarum casum punivit. Qua ratione, & aliis ducti *libro* 7. *de matrimonio disp.* 12. *numer.* 25. & *disp.* 16. *numero* 6. defendimus pœnas statutas raptui fœminæ, non extendi ad raptum viri, nec statutas uxoricidio, extendi ad viricidium. Et ita hanc partem sustinent *Suar. num. præcedenti* allegatus: & *Bannez* 2.2. *q.* 62. *art.* 2. *dub.* 3. *ad finem, paulò ante argumentorum solut.* At in concilio Moguntino, & refertur *c. finali* 20. *qu.* 3. statuitur imponendam pœnitentiam iis, qui hæreditatis acquirendæ avaritia, aliquos decipiunt, ut religionem ingrediantur. Pœnitentia autem est, ut priventur hæreditate, eaque ad monachi hæredes devolvatur. Quam constat exigere judicis sententiam, ut incurratur.

4 Tertium dubium est. An comprehendantur, qui solo metu levi, aut non cadente in virum constantem cogunt? Et quidem certum est comprehendi, quando is metus respectu personæ, cui incutitur, est cadens in virum constantem, etsi respectu personæ fortioris esset levis. Ut in simili probavi *c. præcedenti numero* 21. Sed difficultas est, quando respectu illius est levis. Et videntur comprehendi. Quòd Tridentinum omnimodæ fœminarum libertati prospicere velit: quam etiam suo modo metus levis aufert. Præterea quia dicit, *quomodocumque coegerint*. Tandem quia *Cajetan. summa, verbo Excommunicatio c.* 41. & *Navarrus summa c.* 27. *num.* 125. ajunt cogentes metu levi judicem ad absolvendum ab excommunicatione, incurrere excommunicationem latam *cap. unico, de his quæ vi, in* 6. Et reddunt rationem, quòd textus de cogentibus loquatur, non distinguens, an metus sit gravis, an levis. Quod idem in decreto Tridentini contingit. An verius credo non comprehendi. Quia verius est, excommunicationem *dicti c. unici* non incurri ob metum levem. Ut sustinent *ibi Glossa finalis, & Francus ibi in fine, Suarez tomo* 5. *in* 3. *p. disputatione* 23. *sectione* 4. *num.* 11. & concludit *ibi Glossa* hanc regulam generalem, solum illum metum inducere pœnas constitutionum adversùs inferentes metum, qui sufficiens est ad revocanda ea, quæ per ipsum fiunt. An metus levis non irritat religionis professionem. Ut diximus *cap. præcedenti num.* 23. Non ergo sufficit ad hanc excommunicationem. Secundò, quia decretum id pœnale loquens de metu, debet intelligi de eo, qui in jure metus reputatur, cujusmodi non est metus levis. Quippe eo gesta non reputantur in jure metu gesta. Ut expresse habetur *l. Nec timorem* 7. *ff. de eo quod met. caus.* Et favet valde *Bonifacius Clem.* 1. *num.* 3. *de foro compet.* ubi ait non haberi rationem in jure metus levis. Et meliùs *Sotus lib.* 7. *de just. q.* 2. *art.* 1. *ad* 2. *in fine*, ubi ait metum levem in spiritualibus, ut in voto, non comprehendi metus nomine. Tandem quia *idem Tridentinum sess.* 24. *de matrimonio, c.* 9. rigidioribus verbis excommunicat cogentes ad matrimonium: cum addat, *sive directè sive indirectè cogant*. Et tamen *Enriquez lib.* 11. *de matrimon. cap.* 6. *num.* 5. explicat de gravi metu.

5 Comprehenderentur verò cogentes metu gravi justè illato. Ut si quispiam justam delicti gravis acculationem minetur alicui, nisi ingrediatur religionem: retenta opinione probabili, quam *c. præcedenti num.* 19. tenent aliqui, nempe, irritari professionem hoc metu extortam. Quòd si teneamus contrariam, quam *ibi num.* 20. tenuimus, videlicet non irritari, dicendum est subinde non incurri: juxta regulam *Glossæ num. præced.* traditam. In utraque tamen opinione dicendum est non incurri, quando metus non incutitur ad extorquendam professionem, sed tantùm datur via evadendi ex periculo metum patienti, si profiteri eligat. Quia is metus nullatenus professionis valori obstat. Ut diximus *c. præced. num.* 5.

6 Hinc deducitur primò, quid dicendum sit de inducentibus ad ingressum, vel professionem, promittendo officium aliquod, vel favorem, vel aliud lucrum. Quos non incurrere dicendum est: quòd id non sit cogere, sed sola lucri spe inducere. Ut benè tractans de excommunicatione contra cogentes ad matrimonium, tradit *Suar.* 5. *tomo in* 3. *p. disp.* 23. *sectione* 5. *num.* 6. ubi addit secùs esse, si quis neget alicui, quod ex justitia dare illi tenetur, vel nimis differat stipendii debiti solutionem. Quia ait hanc esse saltem indirectam coactionem: & textus ille excommunicat cogentes directè, vel indirectè. At dicendum est, eam esse coactionem directam, & ita illa cogentes ad ingressum, vel professionem incurrere excommunicationem hujus decreti, quamvis in eo non fiat mentio coactionis indirectæ. Ducor, quia *lib.* 4. *de matrimon. disputat.* 5. *numero* 28. latè probavi esse metum viri constantis, quando quispiam per injuriam